



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Sancta Maria Liber Septimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

# DE SANCTA MARIA LIBRI SEPTIMI

## CAPVT PRIMVM.

*Figura  
de S. Ma-  
ria Virgi-  
ne.  
Apoc. 12*



CAESARIVS.

*Num. 17  
Exod. 3.  
Iudic. 6.  
3. Reg. 10  
Cant. 4.*

IOANNES in Apocal. vidit mulierem amictam sole, & lunam sub pedibus eius, & coronam duodecim stellarum in capite eius, atque in vtero habentem, quæ clamabat parturiens, & cruciabatur vt páreret, & cætera. Mulier hæc per Ioannem visa, virgo est sancta Maria, sole lucidior, fulgore caritatis; luna superior, id est mundo, ex contemptu gloriæ secularis; omnium virtutum stellis tanquam diademate gemmato coronata, & quod illis dignius est, diuino partu fœcundata. Hanc designant per exemplum mons, castellum, aula, tēplum, thalamus, & ciuitas, palma, cedrus, vitis, rosa, & cum istis numerosa nominum nobilitas. Miror in huius gloriosæ virginis designatione virgam floridam, & rubum inter flammam vrentem, vellus madidum Gedeonis, thronum eburneum ac deauratum Salomonis, fontem signatum, horum conclusum, & alia quàm plurima, quæ breuitatis studio sunt omittēda. Sicut etiam in creaturis vniuersis matre creatoris nil est sanctius, nil dignius, nil præcellentius; ita eius visione nulla sanctorum visio dignior, nulla iocundior, nulla eminentior. Cuius preces, vt quidam ait, vitia, cuius nomē tristia, cuius odor lilia, & cuius vincunt labia fauim in dulcedine. Super nucem sapida, & super niuem candida, super rosam rosida, super lunam lucida, veri solis lumine. APOLLONIVS: Beati verò & ter beati, qui tantæ Virginis visione digni habiti fuerint lētificari, & sermone iocundari, oratione consolari, benedictione confirmari. CAESARIVS: Hoc plenius nosces per exempla. Audisti iam ex parte



ex parte figuras & ænigmata; vis nunc scire qualia & quanta mundus per ipsam consequatur beneficia?

**APOLLONIVS:** Nihil plus sitio. **CAESARIVS:** Ipsa est orbis conseruatix, & tribulatoꝝ conſolatrix, fida ſibi famulantium deſenſatrix: per ipſam peccatoꝝ illu- minantur, deſperati ad confeſſionem reparantur, apo- ſtata à Deo per ipſam Deo mirabiliter reconcilian- tur, iuſti reuelationibus conſolantur. Nomen eius, & memoriale eius, morbos ſanat, dæmones fugat, vin- cula ſoluit, timores pellit, tentationes compelcit. Per ipſam puſillanimes confortantur, torpentes excitan- tur, eiecti miſericorditer reuocantur. Diligentes ſe di- ligit, imò diligendo præuenit & honorat, & contem- nentes ſe, quia iuſta eſt, punit & humiliat. Apud ipſam electuaria ſunt confortatiua, vnguenta ſanatiua. No- men eius ſuper mel dulce, & hæreditas eius ſuper mel & fauum. Morientibus aſſiſtit, & mortuorum animas ad vitam perducit æternam. **APOLLONIVS:** Licet omnia hæc credam de illa, vellem tamen mihi eadem exemplis elucidari. **CÆSARIVS:** Quæ à viris audiui religioſis tibi referã, ipſius vt ſpero oratione adiutus. Quod verò mundus eius meritis precibusque conſer- uetur, binis tibi pandam exemplis.

## CAPVT II.

**A**Nte hos annos, quando validi illi fuere venti atque tonitrua, quorum mentionem feci in diſtinctione quarta capite 21. cum in quadam Eccleſia prouinciæ noſtrę populus ſtaret, & diuina ſacerdos celebraret, imago Dei genitricis tam vehemē- ter ſudare cœpit, vt aſtantes notarent & mirarentur, atque ipſæ ſudorum guttæ peplis matronarum exter- gerentur. Nutu Dei obſeſſus eadem hora adfuit, re- quiſitus de cauſa, hoc reſpondit: Quid ſtatis admiran- tes? Filius Mariæ manum extenderat ad ferendum, quam ſi non ipſa tenuiſſet, mundus iam minimè ſub- ſiſteret. Ecce hæc eſt cauſa ſudoris. Et territi ſunt om- nes audientes verba tam ſtupenda. Hæc mihi relata ſunt à quodam Abbate religioſo ordinis noſtri, tunc temporis recenter geſta.

## CAPVS

*Beneficia  
qua per  
B. Virgi-  
nem tri-  
buuntur  
mundo.*

*Eccli. 27.*

*Mundum  
conſeruat  
ſua inter-  
ceſſione.*



**P**ARVO post hæc emenso tempore, anno videlicet gratiæ 1218. mare in partibus Frisiæ terminos suos egrediens, multarum prouinciarum terras occupauit, villas deleuit, Ecclesias lapideas dejecit, tantam extinguens hominum multitudinem, vt summa centum millia transcenderet. Ita exaltati sunt fluctus eius, vt turrium altitudines operire videretur, & procella procellam impellens, generale diluuium minaretur. Et, sicut dictum fuit Abbati nostro, cum eodem anno uisitationis gratia Frisiam intrasset, fluctus furentes etiam vsque Coloniam peruenissent, si non is, qui eos excitauerat, genitricis suæ, vt postea dicitur, precibus compescuisset. **APOLLONIUS:** Nosti causam tantæ plagæ? **CÆSARIUS:** Noui; Friso quidam arte pugil in eadem prouincia extitit, qui quotiens de taberna ebrius redijt, totiës vxorem verberibus & plagis satis tribulauit. Tempore quodam, timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, corpus Domini sibi dari postulauit. Venienti sacerdoti, pugil cum scypho cereuisiæ ebrius occurrens, bibere monuit. Et cum ille responderet: Corpus Domini porto, non modò bibam, iratus Friso cum scypho pixidem percussit, & omnes hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Matronæ verò, quæ consolationis gratia conuenerant, super singulas hostias, tanquam stellas radiantes viderunt: quas sacerdos gemens ac dolens, in pixidem recollegit & abiit. Friso verò à Decano prouinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curauit. Qui tandem ad hoc cõpulsus est, vt cruce pro tanto sacrilegio signatus, cū iam dicto sacerdote etiam cruce signato veniret Romã. Cui Dominus Honorius Papa culpam consenti pro pœnitentia injunxit, vt mare trãsiret, ibique tribus annis in armis CHRISTO seruiret. Quid plura? Mare trãsierunt ambo, & ante Damiatam mortui sunt ambo. Quibus defunctis, cū anno eodem Dominus prouinciam terribiliter, vt supra dictum est plagasset, & causa plagæ populum lateret, matronæ

*Iniuria  
Sacrosan-  
& Eu-  
charistiæ  
illata  
vindican-  
tur.*



matronæ cuidam valde religiosæ, domino in ieiunijs, orationibus, vigilijs & eleemosynis seruienti, matertera videlicet Domini\* Winiboldi Abbatis sancti Bernardi, beata Dei genitrix Maria, lacrymis eius mota, populiq̃ miserta, apparēs, sic ait: Propter iniuriã filij mei in sacramentum corporis eius factam, submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur, si condigna penitentia non fuerit subsecuta. Ex quibus verbis colligitur, quòd non solum pugilis, sed communibus populi peccatis exigētibz, hoc euenerit. Moxq̃ adiecit Mater misericordiæ: Leua oculos tuos contra mare, q̃ cum fecisset, cõtemplata est pixidem à pugile percussam, in summitate fluctuum natãtem; quæ cum in tantum approximasset, vt posset agnosci, ait: Ecce corpus filij mei: in loco enim vbi dispersum est, ædificanda est ecclesia, & debet tanta exhiberi reuerentia, quomodo sepulchro Dominico. Hoc etiã noueris, quòd ambo mortui sunt, pugil scilicet & sacerdos: sed pugil, eo quòd sine contritione obierit, sepultus est in inferno; sacerdos verò teneretur adhuc in purgatorio. Retulit tamen nobis Theodericus Prior de Iesse, eundem pugilem, quantum ad signa exteriora, cū proficisceretur, satis magnam habuisse contritionem, sed credendum est beatæ Dei genitrici Mariæ. Hac visione cognita, dominus\* Theobaldus episcopus Monasteriensis, ad cuius dioccesim maxima pars Frisiz pertinet? missis literis suis per Ididam sancti Bernardi Cellerarium, sicut ipse nobis retulit, solemnem prouincialibus pœnitentiam iniunxit. Quod autem insufficiens fuerit, ex hoc probatur, quòd anno præterito deno punita est Frisia, multis millibus per aquarum inundationes submersis. Matrona quædam prædiues, ex prædicti pugilis domo ecclesiam ædificauit. Ex his quæ dicta sunt, considerare potes, quàm sollicita sit circa hominũ salutẽ beata Virgo Maria, cui tanta cura extitit de pœnitentia. Quòd verò tribulatorum sit consolatrix, sequentia declarabunt.

CAPVT



*B. Maria  
est conso-  
latrix  
tribula-  
torum.*

**R**etulit quidam mihi Abbas de ordine nostro, de sancto Thoma Cantuariensi, qui nostris temporibus martyrizatus est, quiddam satis delectabile, quod nec in eius passione legitur, nec in libris miraculorum eius reperitur. Cùm esset in eius diocesi sacerdos quidam idiota, nullam sciens missam, nisi de Domina nostra sancta Maria, & illam quotidie celebraret, atque apud eum de hoc accusaretur, prohibitus est, ob honorem Sacramenti à beato Episcopo, de cetero dicere missas. Qui cùm esset in tribulatione, & egeret, beatamque virginem Mariam iugiter inuocaret, illa ei apparens, ait: Vade ad Episcopum, & dico ei ex parte mea, quatenus restituat tibi officium tuum. Respondit sacerdos: Domina, ego pauper sum, & persona despecta, non me audiet, neque mihi patebit accessus ad eum. Beata Virgo Maria subiunxit: Vade, & ego tibi viam præparabo. Et ille: Domina non credet verbis meis. Respondit ei: Dices ei pro signo, quòd cù tali hora, & in tali loco, cilicium suum dilutum resarciret, ego illud ex parte vna tenebam adiuuans eum, statimque credet tibi. Manè sacerdos sine impedimento intrans ad Episcopum, beatæ Dei genitricis Mariæ referens nuncium, cùm ille diceret: vnde credâ te ad ea missum? prædictum signum de cilicio subiunxit; quo audito, beatus pontifex stupens simul ac pauens, respõdit: Ecce reddo tibi officium tuum, & præcipio tibi vt tantùm missam de Domina sancta Maria cantes ac frequentes, oresque pro me. **APOLLONIUS:** Satis miror pietatem Dominae nostræ sanctæ Mariæ, quòd idiotam depositione dignum sic defenderet, & ministerio tanto dignum iudicaret. **CÆSARIUS:** Hoc actum est ex ineffabili eius misericordia, sicut in sequenti capitulo ampliùs mirari poteris.

## CAPVT V.

*\* Aliàs  
Harderardus.  
\* Aliàs  
Derlar.*

**C**Anonicus quidam sancti Gereonis in Colonia, \*Harderardus nomine, vir nobilis, oriundus de Merenberch, pastor erat cuiusdam ecclesiæ super fluum Logonam sitæ, vocabulo Derlar. Cùm



esset liberalis, & multa consumeret, nec anni ei red-  
ditus sufficerent, putans iam dictæ suæ ecclesiæ vica-  
rium multam habere pecuniam, cogitare cœpit, qua-  
liter extorqueret ab illo. Scienſque prorsus hominem  
illiteratum, assumpto secum Decano Limburgensi, in  
ipsa dominica infra Epiphaniæ octauam, cuius offi-  
ciū difficillimum est, cū se sacerdos præparasset, eccle-  
siâ, tanquã missam auditurus, intrauit. Expauit ille vi-  
sis tãtis viris, & facta tamen confessione, eo q̄ ignora-  
ret officium diei, introiit de S. Maria, scilicet: Vultū  
tuum deprecabuntur, inchoauit. Quem Harderardus  
confundere volēs, auctoritate curæ pastoralis, officiu  
diei incœpit, id est: In excelso throno. Cui cū sacer-  
dos resisteret, cessit ille confusum se simulans. Finita  
missa, cū illum durè satis argueret, diceretque, qua-  
lem missam dixisti hodie? & ille responderet, de Do-  
mina nostra S. Maria, nõne bona fuit? adjecit Har-  
derardus: Videte ne vnquam de cætero missam dica-  
tis in Ecclesia mea, sicque recessit, alio sacerdote sub-  
stituto. Et cū egeret pauper ille amotus, compassa  
est ei mater misericordiæ, nocte quadam Harderardo  
dictis matutinis in Ecclesia sancti Gereonis soli ap-  
parens, durius allocuta est, dicens: Vt quid repulisti  
capellanium meum, auaritia tua ad hoc te instigare?  
Si non celerius eū restitueris, linguæ officio à me pri-  
uaberis. Ille ad pedes eius corruens, & veniã postulas,  
omnem satisfactionem promisit. Mox manè, directo  
nuncio, amotum restituit, mandans, sicut supra dictū  
est de sancto Thoma Cantuariensi, vt missam de san-  
cta Maria quocunq̄ die vellet celebraret, ipsamque  
pro suis peccatis interpellaret. Adhuc idem sacerdos  
viuit, & præest cuidam monasterio sanctimonialium,  
cuius ipse iniriator extitit. APOLLONIVS: Bonum  
est tali seruire dominæ, quæ sic sibi seruientibus sub-  
uenit. CÆSARIVS: Non solùm eos a quibus affligun-  
tur monet & corripit, imò etiam, quæ illorum sunt,  
potenter defendit.



*Defendit  
etiam res  
eorū, qui  
eā vene-  
rantur.*

**T**Empore illo, quo Baldewinus comes Flandrie cum cruce signatis Constantinopolim expugnauit, dominus Papa Innocentius ordini literis suis mandauerat, vt quadragesimam partem omnium rerum suarum mobilium in succursum terræ sanctæ transmitteret. Ordo verò priuilegijs sibi ab eius antecessoribus indultis innitens, ne libertatem concessam vertere videretur in seruitutem, tam grandi exactioni subiacere non acquieuit. Vnde Innocentius furens, in tantum ordini indignabatur, vt dignitatibus secularibus indulgere proponeret, quatenus possessiones ordinis sibi vsurparent. In proximo generali capitulo Abbates, qui confluxerant, spem suam in beata Dei genitrice Maria, quæ ordinis patrona est & aduocata, ponentes, scientes sententiam malè cōceptam, eius precibus & meritis facilè posse reuocari, speciales pro eadem necessitate, vsque ad proximum capitulum, orationes injunxerunt. Hoc etiam adicientes, vt à capite quadragesimæ nudis pedibus de capitulo exeuntes, septem psalmos cum letania cantarent: quod & fecimus. Interim beata Dei genitrix virgo Maria cuidam religioso nomine Reinero, iam dicti Innocentij confessori apparens, in hæc verba eidem mandauit: Tu ordinem Cisterciensem, cuius aduocata sum ego, destruere conaris, sed non praualebis; & nisi citius de tuo malo proposito resipiscas, ego te & omnem potestatem tuam conteram. Huiusmodi nuntio dominus Innocentius audito, sciens Reinorum virum esse sanctum ac veracem, timuit, in tantum de concepto peccato pœnitens, vt ordinis priuilegia roboraret, hoc adiciens, vt primò omnium negotia ordinis in curia expedirentur: quam indulgentiam cum tam sua bulla, quam omnium Cardinalium subscriptionibus confirmaret, & vnus tantum nigri ordinis Cardinalis contradiceret, ita in illum exaruit, vt statim eum amouere minaretur. Cumque hæc in proximo capitulo patribus nostris innotuissēt, Christum eiusque genitricem virginem Mariam, de tam  
inopi-



inopinata immutatione glorificantes, orationes in-  
 junctas, cum gratiarum actione dimiserunt. APO-  
 LONIVS: Non miror, si aduocatiam suam tam potēs  
 regina defendit. CÆSARIYS: Verum dicis, licet enim  
 sit mater misericordiæ, non tamen obliuiscitur circa  
 immisericordes vindictæ.

## CAPVT VII.

**D**Vm nobilis femina domina Aleydis de Mols-  
 berg, cum consensu mariti sui Euerhardi Bur-  
 grauij quædam allodia sua, per inspirationem  
 diuinam, ad nouam Abbatia ordinis nostri construē-  
 dam in manus domini Henrici Abbatis nostri libere,  
 & sine omni contradictione tradidisset, & ante ipsius  
 mortem domus, quæ vocatur locus Mariæ, constru-  
 cta fuisset, viri quidam nobiles, ex eius cognatis, post  
 eius mortem, contra iusurandum venientes, eandem  
 nouellam plantationem querimonijs, minis, rapinis,  
 multisque alijs incommodis molestare cœperunt.  
 Sancta verò Dei genitrix Virgo Maria, eiusdem cœ-  
 nobij Domina & Aduocata, sicut à multis dicebatur,  
 hoc apud filium egit, vt Henricus de Molsberg, qui  
 præcipuus videbatur, obsideretur, & supra vires dam-  
 nificatus, de proprio castro eliminaretur. De Ze-  
 genbergh vir nobilis, à quo multum domus prædicta  
 vexabatur, à seruo suo satis mirabiliter occisus est: ali-  
 quidam, ad eius deprædationem properās, in via cre-  
 puit medius. Quam vindictam cum audisset alius qui-  
 dam nobilis, vnus de cohæredibus, venit ad locum ti-  
 more correptus, dicens: Domina mea sancta Maria  
 sint tua tibi, ego parti meæ renuntio. Wilhelmus mi-  
 les de Helpenstein, ab vxore instigatus, quæ se hære-  
 dem possessionum collatarum dicebat, cortem me-  
 liorem inuadens, fratres multis expensis grauabat.  
 Interim sacerdos quidam religiosus, confessor eius,  
 nocte quadam in loco sanctæ Mariæ se per visum  
 transpositum vidit, & cum quidam ex sacerdotibus  
 celebraturus esset Missam, & a supradicto Wilhelmo  
 impediretur, vir quidam nigerrimus fuste illum per-  
 cussit, & occidit. Quem visum, cū ei recitasset, asserēs



eum in breui moriturum, nisi a vexatione monachorum cessaret, ille stimulis quotidianis vxoris suae se vrgeri conquerens, non acquieuit consulenti. Citatus literis papalibus, cum esset in violenta possessione, & iudices cum Aduocatis iam negotium diutius pertractassent, tandem partibus duos dies præfixerunt; unum amicabilem ad componendum, alterum ad litigandum. Qui cum componere non possent, diesque tres adhuc superessent ad litigandum, Ioanes de Horechim in veteri monte Conuersus, proxima nocte vidit se in somnis esse in loco sanctæ Mariæ, audiens virginem gloriosam clara voce dicentem: Oportet me recedere a loco isto. Dicente Conuerso: Quò ibis ò Domina? Respondit: ad filium meum, conqueri de Wilhelmo de Helpenstein, qui me non sinit quiescere in loco isto. Manè verò visionem referens Cellerario iam memorari Wilhelmi, subjunxit: Sciatis pro certo, quòd dominus vester citò morietur propter conuentum loci sanctæ Mariæ. Cui ille subridendo respondit: Non curetis, tamen vellemus esse absoluti ab eo, qui post dies paucos pede truncatus pœnam soluit irrisionis. Eadem verò die, cum Wilhelmus circa nemus spatia-retur, nisum portans super pugnum, a duobus seruis comitis Seynensis, qui hominem sui iuris captiuum ducebant, quem ipse excutere nisus est, lancea transfossus, animam protinus exhalauit. Eadem hora, obsesta quædam in villa, quæ Trys dicitur, a castro Helpenstein satis remota, ita cœpit saltare, manusque cum cachinno complodere, vt vix a duodecim hominibus possent teneri. Interrogata quid haberet? Respondit: Modò in hac hora magister meus acquisiuit tres animas: noueritis Wilhelmum de Helpenstein iam occisum. APOLLONIVS: Quæ fuerunt illæ tres animæ? CÆSARIVS: Occisi, & occidentium, sicut con-jicio, eo quòd animam mortui habuerit in re, alias duas in spe. Non multo post interrogatus diabolus in Briseke de anima eiusdè Wilhelmi, per os alterius feminae respondit: Magister meus habet eam, & pro-pter monachos quos spoliauerat, pice & sulphure illa infudit,



infudit, vsque ad summum replens. Vxor verò, quæ ad tantum malum instigauerat eum, post breue tempus a priuigno de castro cum liberis ejecta est: Nam, cum sit inexpugnabile, cum scalis nocte intras, illam turpiter eiecit, iniuriam beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ vindicans. Ab illo tempore vsque hodie monasterium cortem eandem quietè possidet, meritis gloriosæ Virginis Mariæ adiutum. APOLLONIVS: Satis mihi iam probatum est, quòd ipsa totius sit orbis conseruatricis, tribulatorum consolatrix, fida sibi famulantium defensatrix. Quòd autem peccatores per illam illuminentur, quod his omnibus salubrius iudico, aliquo mihi ostendi precor exemplo. CAESARIVS: Cùm homo homini saepe primam obtineat gratiam, multo amplius hoc credendum est de matre Domini.

## CAPVT VIII.

**C**Anonicus quidam sancti Cuniberti in Colonia, nomine Henricus, vita satis secularis, cum die quadam solus equitaret, nubecula lucida viam ipsam, eo intuente, transuolauit, vocemque clarissimam de ipsa nube audiuit dicentem: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: eratque vox eadem tantæ dulcedinis, vt quotiens eius postea recordaretur, lacrymis infunderetur. Cumque vocem hanc cælitus demissam minùs attenderet, vel potius non intelligeret, nocte quadam per visum se stare vidit in capella domus suæ ante altare, coram imagine Beatæ Dei genitricis Mariæ. Quam cum verbis angelicis solito salutaret, respōdit illa: Vt quid me salutas? homo perditus es; & nisi vitam tuam emendaueris, citius peribis. Ego enim & sanctus Benedictus intercessimus pro te. Qui cum secundā hanc admonitionem, dulcedine vitæ secularis abstractus, negligeret, circa tēpus sex hebdomadarum tam graui infirmitate correptus est, vt inungeretur, nec vlla esset spes vitæ eius. Tunc demū ad cor reuersus, & quid audierit, quidve viderit, recordatus, fratribus quibusdam Bergensibus, ordinis Cisterciensis, ad se vocatis, se reddidit, qui in proximo

B b 3

pascha

*B. Virgine  
nē obime  
re pecca-  
toribus  
gratiam  
illumina-  
tione.*  
*Matt. 6.*



pascha monachus factus est, meritisque & precibus  
beatæ Virginis Mariæ se illuminatû vique hodie glo-  
riatur. APOLLONIVS: Cuius fuit vox illa facta de nube,  
& quis sensus eius? CAESARIVS: Quantum ex iam di-  
ctis colligitur beatæ Mariæ & sancti Benedicti: ora-  
bant enim Christum, vt sicut voluntas eius est in ce-  
lo, id est, in iusto, ita & eius voluntas, quæ semper  
bona est, fieret in terra, hoc est, in illo iuene tûc pec-  
catore. Nec mirari debes, si peccatores per eam illumi-  
nantur, quia sicut nomen eius ita & laus eius in fines  
terræ: Maria enim interpretatur stella maris, siue illu-  
minatrix. Quòd verò desperati, & contra omnem gra-  
riam indurati, per ipsam ad confessionem & veniam  
reparentur, præstò sunt exempla.

## CAPVT IX.

*Indurati  
per eadē  
ad cōfes-  
sionem  
perducū-  
tur.*

*\*al. Si-  
menim.*

**I**N prouincia Parica domus ordinis Cisterciensis  
sita est, quæ trappa vocatur; in hac, sicut mihi reu-  
lit dominus Henricus Abbas de\* Simenim, asserens  
sibi recitatum ab Abbate prædictæ domus, contigit  
quod dicturus sum, tunc temporis recenter gestum.  
Infirmatus est ibi monachus vsque ad mortem; depu-  
tati sunt ei duo monachi ad seruiendum, qui dum si-  
mul exissent, & æger solus iaceret, ingressi sunt duo  
tetri spiritus in angulo domus stantes: complofis autē  
manibus cachinnantes dicebant ad inuicem: Cras  
hora tertia, deducemus cum magnò gaudio animam  
huius ad infernum. Mox infirmus tremere cœpit atq;  
palescere, maximè propter remorsum conscientia:  
cōmiserat enim ante conuersionem peccata quædam  
grauia, quæ, vetante erubescencia, confiteri non po-  
ruit, neque clericus in seculo, neque nouitius, neque  
monachus in monasterio. Pauens verò & circumspi-  
ciens cōtemplatus est in angulo opposito matronam  
pulcherrimam, in hac verba demonibus cachin-  
nantibus respondentem: Nolite nimis gaudere, ego  
illi dabo consilium, qualiter dentes vestros euadat.  
Post quod verbum visio omnis, ministris intransibus,  
disparuit. Consilium autem intelligens cōfessionem,  
matronam verò sanctam Mariam Dei genitricem,  
quam



quam in tanto periculo, vt opinor, inuocauerat, Priore vocari fecit, cui omnia sua peccata, meritis beatæ Mariæ virginis adjutus, plenè ac deuotè confitens, & vt eadem Abbati, qui tunc præsens non erat, reuelaret, supplicans, oleo sacro inunctus, & dominici corporis sacramento munitus, hora à dæmonibus prædicta, sub spe veniæ spiritum exhalauit.

## CAPVT X.

Simile beneficium consecuti sunt duo pauperes Parisijs à beata Virgine Maria, sicut mihi retulit Lambertus monachus, qui eodem tempore ibidem dicit se studuisse. Cum enim collecti fuissent in hospitali, quod situm est ante eius oratorium in paradiso, viro cuidam religioso, eiusdem hospitalis ministro, ipsa virgo benignissima, cui cura est de omnibus, apparere dignata est, dicens: Bone pater, vide vt diligentia ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt, & dæmones cum multa solitudine circumeunt quomodo eis noceat. Quod cum indicasset sacerdoti, & ille eos ad emundationem conscientiæ hortaretur semel, ac secundò, nec proficeret, tandem subjunxit: Miseri, ego noui vos esse in peccatis grauissimis, citoque moriemini, & nisi confessi fueritis, intrabitis gehennam, pœnis æternalibus cruciandi. Illi verò territi, &, quod credibilius est, precibus beatæ Dei genitricis Mariæ illuminati, peccata sua confessi sunt, moreque Christiano decedentes, dæmonibus luctum, & sanctis angelis gaudium fecerunt in cælo. APOLLONIVS: Valde lætificant ista. CÆSARIUS: Non solum peccatores fidem sine operibus habentes, per ipsam, vt probatum est, illuminantur, imò etiam apostatæ à fide, q̄ signum est maioris misericordiæ, per eam Christo recõciliantur. De hoc habes manifestè exemplum in distinctione secunda, cap. quadragesimo-secundo, de iuvene, qui iuxta Florentiam Christum abnegans, & diabolo se reddens, eius precibus peruenit ad indulgentiam. Simile legitur de Theophilo Alexandrino. APOLLONIVS: Quia ià sermo satis protractus est de beneficijs eius circa peccatores,

*Etiã apostata à fide per Virgine reconciliantur Christo. Eusebia in eius vita tom. 1 Surij 4. Februar.*



precor ut exemplis mihi ostendas, quātis & qualibet per eam iusti revelationibus consolentur. CÆSARIVS: Quam mirificè iustos sibi seruiētes sancta Dei genitrix virgo Maria consoletur, ex paucis, quę subijciam, cognoscere poteris exemplis.

## CAPVT XI.

*B. Virgo  
Maria  
etiā in-  
fios con-  
solatur.*

**C**Ausa extitit, ut quidam ex Abbatibus ordinis nostri pro negotio ordinis ad Henricum Imperatorem filium Frederici mitterentur, inter quos præcipuus videbatur tam sanctitate, quam dignitate, dominus Petrus monoculus Abbas Clarauallis, cuius mentio habita est in distinctione sexta cap. 11. Et quia dominus Cisterciensis in propria persona venire non potuit, Priorem pro se misit. Venientibus eis Spiram, cum in ecclesia beatae Dei genitricis semperq; Virginis Mariæ, cuius structura stupendę magnitudinis est, orassent, cunctis ocyus ab oratione surgentibus, & eiusdę ecclesię ædificia circuistrando considerantibus, iam dictus Petrus (cuius cogitatus & delectatio non fuit ædificijs corruptibilibus, sed in structura Ierusalem cęlestis) in oratione perseverauit. Tandem omnibus egressis, cum in porticu ecclesię & canonicis honorificè fuissent salutati, & cum instantia multa ad prandium inuitati, requisitum est a quodam Abbate, in cuius honorẽ ecclesiã esset consecrata. Respondentibus clericis in honorem Domine nostrę sanctę Mariæ, Abbas Clarauallis inconsideratę subjunxit: Et ego sciebã. Quod verbũ Prior Cistercij considerãs, tũc quidẽ tacuit, sed mox ut egressi sunt ciuitatẽ, eiusdem verbi recordatus, ait Abbati: Domine Abba, dicite mihi, vnde sciebatis Spirense monasteriũ in honorem domine nostrę fuisse consecratũ? Ille de verbo prolato dolens, respõdit: Visum est mihi bene dicere, ut tam mirificę structurę patrona foret mater Dei, & cęlorũ regina. Prior bene cognosces eius sanctitatem, & quia aliquid sibi in ecclesia reuelatũ fuisset ex responsione conjiciens, adjecit: Ego in hac vice vicem gero domini Abbatis Cisterciensis, in cuius auctoritate vobis præcipio, ut non mihi dicatis nisi veritatem.



ratem. Tunc ille obedientia arctatus, cum verecun-  
dia respondit: Quando prostratus coram altari pro  
peccatis meis, & viæ negligētis, attentius orati, ipsa  
beata virgo Maria mihi apparet, benedictione, quam  
ordo noster super redeuntes de via dicere consuevit,  
super me dedit in hæc verba: Omnipotens sempiternæ  
Deus, miserere huic famulo tuo, & quicquid ei in via  
subripuit visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermo-  
nis, totum ineffabili pietatē propitiatus indulge, per  
Christum Dominum nostrum. Hæc mihi relata sunt  
à quodam Abbate religioso ordinis nostri, in cuius  
domo idem Petrus sapius visitauit. Ex benedictione  
eius intellexit, eam ibidem fuisse patronam. APOLLO-  
NIUS: Felix oratio, per quam tantæ Virginis meretur  
benedictio. CÆSARIUS: Non solum orantes, sed etiam  
psallentes, sua benedictione consolari consuevit.

## CAPVT XII.

**H**enricus Conuersus in Hemmenrode, cuius  
memini in distinctione quinta, cap. quinto, lo-  
quens de dæmonibus, sæpius, in solennitatibus  
maximè, gloriosam Virginem Mariam inter psallentes  
videre consuevit. Quæ nocte quadam, ipso intue-  
te, de choro monachorum veniens, Dei filium ex se  
natum in brachijs gestans, chorum ingressa est Con-  
uersorū, & more Abbatis fratres excitando circūiens,  
ante quosdā, qui in oratione vigiles erant & deuoti,  
gradū fixit, filium eis ostendens, ac benedicens, deu-  
otioni illorum cōgratulādo: tepidos autem & dormiē-  
tes celerius pertransiit, nil consolationis eis impen-  
dēs. Singulos verò Conuersos in illa cœlesti circuitio-  
ne visitatos nec non & neglectos prædictus Conuer-  
sus diligenter notauit, singulos domino Hermanno  
tunc ibidem Priori, nunc loci sanctæ Mariæ Abbati,  
nominatim exprimens. Hæc ab eius ore audiui. APOL-  
LONIVS: Simile recordor te dixisse in prima distinct.  
cap. 35. de Godefrido monacho Vilarienti. CÆSARIUS:  
Tanta charitate beata Virgo Maria sibi deuorè famu-  
lantes complectitur, vt non solum orantibus, non so-  
lum psallentibus, sed etiam dormientibus benedicat.



**N**Octe quadam cū Conuersus præfatus sederet in lecto suo, in infirmatorio, & cæteris dormientibus diceret orationes suas, vidit Dominam nostram sanctam Mariam eandem cellulam in magna claritate intrantem, monacho cuidam, quem nominare nolo, præcedente, matronis duabus subsequentibus. Supra cuius caput cū manum posuisset, lectos infirmorum perlustrās, & dormientibus benedicens, iterum ad eum rediens, manuque super caput eius secundò posita, sic ait: Deus benedicat quicquid hīc manet, sicque egressa est. **APOLLONIVS:** Si sic dormientes noctibus a speculo totius castitatis visitātur, valde decet, vt tam ordinatè, & tam compositè religiosi in lectis suis iacere studeant, vt virgineus aspectus in eis non offendatur. **CAESARIUS:** Iustè moueris: referam tibi de hoc exemplum, quod me audisse recolo à magistro meo in probatione.

## CAPVT XIII.

*Indecenter cubantes nocte religiosos B. Virgo præterit.*

**M**Onachus quidam, sicut frequenter contingit, cū nocte quadam dormire nō posset, diceretq; orationes suas, contemplatus est in dormitorio feminam miri decoris, quæ dum dormientium lectos circuiret, singulis benedixit, vno tantum monacho neglecto, quem non respicere curauit. Hunc vigilans diligentius notans, cū visio ei fuisset intimata manè, confessus est, quòd eadem nocte inordinatè iacisset, aliquid sibi de rigore ordinis relaxādo. Non mihi dicere potuit magister meus, vtrum cingulum deposuerit, vel caligas demiserit, siue tunicam denodauerit. **APOLLONIVS:** Si pro culpa tam modica monachus iste gratia benedictionis priuatus est, puto eum dignum esse pena, qui inordinatè & impudicè iacere dormiens consuevit. **CAESARIUS:** De hoc terribile satis habes exemplum in distinctione quinta capitulo tricesimo-quinto, de Conuerso quem diabolus impudicè dormientem, in forma monialis deosculabatur, qui mox infirmatus, infra triduū mortuus est. Dormientes enim & peccare possumus, & mereris



mereri: quæ enim vigilando cogitamus, siue ad quæ mouemur, siue bona sint siue mala, eadem nobis saepe per somnia occurrunt; sicut catena dum trahitur & iactatur, pulsus pulsum impellit; ita in dormiēte, præcedens cogitatio, motus, siue consensus, opus bonum vel malum inducit. APOLLONIVS: Placet quod dicis, procede nunc de consolationibus iustorum.

## CAPVT XV.

## CÆSARIVS.

**S**Vpradictum Conuersum Henricum, monachus quidam vitæ laudabilis, cuius nomen proderi non licet, obnixius rogauit, vt beatam Dei genitricem Virginem Mariam pro se interpellaret, cum ab illa visitaretur. Quod cum promississet, & die quadam dicto completorio in oratorio grangiæ, cuius magister erat, pro ipso preces funderet, apparuerunt oranti tres matronæ miræ pulchritudinis. Ad quarum decorem dum stuperet, & quænam essent, vel vnde venirent, intra se miraretur, vna ex eis cogitationibus eius respondit: Ego sum Maria Magdalena; hæc est vniuersalis Domina Dei genitrix virgo Maria, digito eam demonstrās; tertia verò est Elizabeth, & adjuxit: Tu oras pro monacho illo, nomē eius exprimens, magis autē indiges vt ipse oret pro te, sicque disparuerūt. Super eiusdem monachi caput, cum adhuc esset Diaconus, & euangelium legeret ad missam, idem Conuersus columbam vidit descendantem, & vsque ad finem lectionis ibidem manentem.

## CAPVT XVI.

**I**N eodem Claustro, quod etiam Hemmenrode dicitur, monachus quidam fuit, prædicto Conuerso Henrico contemporaneus, nomine & opere Christianus. Istum multis modis Domina nostra consolari consuevit, secreta sua illi manifestans. Huius beati viri vitam, videlicet qualis ante conuersionem fuerit, vel post, in quantum scire potui, succinctè tibi perstringam: Non alia tibi de illo referam, quàm ea, quæ à religiosis viris, qui eum viderūt & nouerūt, mihi dicta sunt. Cùm adhuc esset scholaris, vt scholas visitans per

*Consolatur pros.*

*Vita Christiani monachi in Hemmenrode.*



per prouincias discurreret, nocte quadam in domo cuiusdam mulieris hospirabatur, cuius filia, cum haberet caput scabiosum, & instaret apud adolefcem, vt si aliquid contra illum morbum nosceret, sibi diceret, asserens multa experimenta scholares scire, & ipse negaret, illaq; negati non crederet, tandē importunitate eius victus, vt se ab illa liberaret, respondit: Accipe barbam Iouis, fuliginem, & sal, & fac ex eis vnguentum, de quo mox vt filia tua caput peruxeris, melius habebit. Quæ cum eidem morbo essent contraria, fecit tamen mater sicut edocta fuit, & puella citius, non propter medicinam, sed propter scholaris simplicitatem, vt opinor, plenè conualuit. Alio tēpore, cu in domo quadam sibi ignota dormiret, & propter necessitatē naturæ, solis femoralibus indutus surgeret, diabolus in specie nudę mulieris illi occurrēs, dorso eius nudo insiluit: quā cū nullo conatu de dorso suo excutere posset, sic vsque ad tēpus matutinarum circumcundo, magnum tam corporis quā mentis incurrit defectum. Ordinatus in sacerdotem, factus est capellanus comitis\* Loffensis, in castro eius Missas celebrans. Filius verò Comitis, sciens illum virum esse simplicem & timidum, vt eū terreret, vrsi pelle se circumdedit, & more bestię super pedes manusque incedens, ad solum in capella sedentem sic venit; rugitus contra illum emittēs. Quo viso, Christianus territus, & penè extra mentem factus, arrepto cultello, tam validè illum collo iuuenis infixit, vt rueret penè mortuus; qui cū modicum respirasset, timens vitæ sacerdotis, ait: Fugite domine Christiane, quia filium Comitis occidistis. Mox ille territus fugit, & cū venisset ad portam castri, dixit ostiario: Aperi, & sine me fugere, quia filium Comitis occidi. Vides quanta simplicitas? Statim vt hæc innotuerunt, parentes & familia planxerunt valde, ad petitionem tamē iuuenis Christianus reuocatur, culpa ignoscitur, contra spem vulneratus citius conualescit. Tempore quodam, cū prædictus Christianus comédationē hominis mortui faceret, mortuus ille surrexit; fugientibus omnibus

\* al. Loffensis.



qui aderant, fugit & ipse Christianus, venitque ad fluuium, qui non longè aberat; quem mortuus sequens clamauit post tergum eius, dicens: Domine est mihi domi aries optimus, tollite illū, & orate pro me, sicq; ad feretrum, de quo exilierat, reuersus mortuus est, & sepultus. Habebat autem præter prædictam capellam, ecclesiam legitimam, cuius pastor erat, ad quam quotiens ire debuisset, fluuium quendam transire habebat, qui cum minor esset, equo vectore illum transuadabat; cum verò inundasset, nauigio transibat. Quodam igitur tempore, cum ad fluuium de more accessisset, maiorem quã crediderat reperit. Propter quod, cum se & equum ei committere non auderet, & nauicula deesset, paululumque quid faciendum esset deliberaret, ecce apparens ei beata Maria Magdalena, apprehendit eum de vestimento supra collum, & in vltiore ripam deposuit, ita vt erat in equo sedentem. Latus itaq; ad ecclesiam peruenit, & diuina celebrare exorsus est, nullum habens adiutorem, nisi rusticum Ecclesiæ custodē; Beata verò Maria Magdalena, quæ mirabiliter illuc eū perduxit, missæ eius interesse non refugit. Nā quotiens se vertebat, dicendo: Dominus vobiscum, vidit matronam reuerendissimam in oratorio deambulantem, in qua nullum sciens esse mortalium nisi prædictum custodem, eundem Missa finita conuenit, interrogās, si aliquid vidisset: ipse autem etiam se eam vidisse asserebat. *Apos. 22.* Quia, teste scriptura, dignum est vt iustus iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc; considerās venerabilis sacerdos mundi pericula, diaboli tentamenta, carnis incentiua, diuina gratia inspirante, mundum deseruit, & religionis habitum in Hemmenrode suscepit. Die quadam in solario probationis in oratione iacens, & de corporis sui imbecillitate, ordinis districtione, pœnisque purgatorij cogitans, tædere cœpit, & mox mirabili quadam virtute animam suam à corpore separari sensit. Vidit & sepulchrum opere mirifico coram se compositū: & ecce sancta Dei genitrix semper Virgo Maria, in claritate maxima, cum multa turba virginum per  
fene-



fenestram, eo vidēte, ingressa est, dictumque est quod ipsa esset mulier de Nazareth; quæ corpus exanime sacerdotis a capite leuans, & Fredericus Imperator auus huius Frederici qui hodie imperat, a parte pedū, reuerenter illud tumulauerunt. Deinde beata Virgo Maria cum multitudine angelorum obsequētium, ad cœlestia rediens, animam tumulati, dæmonū cateruis sequentibus, ac massas igneas post eam exsufflātibus, secum duxit, illæsamque custodiuit. Ducta tamen ad quēdam ignem maximum, edocta est ab Angelis, post mortem illuc esset reditura, & ignem eundem transitura. Repentē se corpori restitutam inuenit. De modo illius transitionis & causa, nemini aliquid dicere voluit. Testatus est autem, animam suam vbique fuisse oculatam, & tantæ scientiæ, quàm diu exuta fuit a corpore, vt post suscitationem, cæcitatē suæ caliginē miraretur. Interrogatus de formis angelorū & dæmonū, respōdit, angelos se vidisse in specie pulcherrimarū auiū; dæmones verò in effigie coruorum. Hic recordor dicti cuiusdam, cuius anima nuper educta fuit a corpore, quādo non est reuersura, reliquas animas siue spiritus angelicos videt: quando verò reuersura est ad corpus, non ei datur animas siue angelos contēplari, nisi sub aliqua similitudine & lineamēris, propter viuentes. APOLLONIVS: Satis videtur istud esse probabile; Sed quid significat quod prædictum sacerdotem Domina nostra cum Imperatore Frederico tumulauit? CÆSARIVS: Sicut mihi reculit præfatus Walterus, qui huius tumulationis solutionem cum maximo labore, & hoc secretissimè, ab eo elicere potuit, quantum beata Virgo Maria illum dilexerit, vel quanti meriti apud Deum fuerit, per eandem visionem ostendit; ac si diceret: Nullius in regno terreno Frederico Cæsare, qui nunc imperat, dignior est, nec ipse tamen præstare obsequium sepulture tuæ dignus est. Ita ipse intellexit. Dæmones vero in diuersis formis sæpissimè vidit, hominum videlicet, animalium, reptiliū, sicut in quinta distinctione meminimus me plenius dixisse capitulo vj. Cū tempore quodam



quodam staret inter alios ad horam sextam, vidit mensam in medio chori stantem, decentissimè præparatam: venientes autem tres viri, decoris maximi indumenta sacerdotalia apportauerunt, & explicantes ea super mensam ei præsentauerunt. Alio itidem tempore, cum initio laudum psalmus, Deus misereatur nostri, decantaretur, vidit dexteram Dei super mediū chori dantem benedictionem super conuentum: ob quam causam concessum est fratribus Conuersis, in maioribus festis, illum psalmum semper audire: **APOLLONIVS**: Miror quibus meritis vir iste ad tantam peruenit gloriam? **CAESARIUS**: Virtutibus animi maximè, charitate videlicet, simplicitate, humilitate, & in his similibus. In his enim consistit regnum Dei, nō in sermone vel labore corporali. Prædicare autem, seu manibus laborare sine virtutibus, admodicum valet. Tantæ siquidem fuerat humilitatis, vt si aliquem monachorum obuium habuisset, complicatis manibus se contraheret, & ne illum veste tangeret, in partem declinaret. Requisitus de hoc, respondit: Ego sum peccator, & non sum dignus vt hos sanctos viros tangam, vel tangar ab eis. Duos siquidem filios ante conuersionem in iuuentute genuerat, non tamen legitimè, Henricum videlicet de Vilario, virum sanctum, de quo est dictum in quarta distinctione, capitulo tricesimo primo; & Ioannem monachum de Claustro, qui adhuc superest. **APOLLONIVS**: Quid est, quòd maiorem in huiusmodi reuelationibus gratiam videmus impendi peccatoribus & lapsis post pœnitentiā, quàm his qui innocentiam suam seruauerunt? **CAESARIUS**: Vbi abundauit delictum, ibi frequenter *Rom. 5.* superabundat & gratia; & fit hoc ex ineffabili misericordia Dei, ne videlicet lapsi propter peccata commissa desperent, & ne innocentes, de sua superbiant innocētia. Sedente me tempore quodam in conuētū sanctimonialium ordinis nostri, cum de huiusmodi visionibus conferremus, vna ex virginibus dixit ad me: Videte quòd Deus talibus secreta reuelat, & non nobis; vnam digito demonstrans, quā non virginem

genisse



venisse ad ordinem suspicabatur. Cui ego respondi, quod iam supra dixi, hoc adjiciens: Vos fortè eandem gratiam adscriberetis virginitati vestræ, & vult Deus magis vos esse humiles, quam virgines. Bene intellexeram, non sine superbia eam verba protulisse. Quod talium mentes quandoque virtus virginitatis extollat, ex verbis cuiusdam alterius sanctimonialis tibi plenius ostendam. Certè, inquit, non ero similis ego, quæ virgo sum, quæ filios & filias genuerunt. Quantum tamen Deo humilis virginitas placeat, & quam mirificè sua illis secreta reuelet, sequentia capita declarabunt. **A P O L L O N I V S**: Memini te superius dixisse, meritum magis consistere in virtutibus animi, quàm in operibus exterioribus: vt quid ergo quotidie mortificamur orâdo, legendo, vigilando, ieiunando, cantando, & manibus laborando? **CÆSARIUS**: hæc omnia sine merito vitæ æternæ fieri possunt; motus autem virtutum, nunquam. Quicquid sine charitate & cæteris virtutibus fit, mortuum est. Audi ergo *Vide l. 2. Sct. d. 27* vtilem distinctionem ex regulis Theologiæ, per quam cognoscere poteris, penes quid meritum consistat: Meritum consistit penes gratiam efficaciter, penes liberum arbitrium occasionabiliter, penes virtutes formaliter, penes motus virtutum essentialiter, penes opera virtutum, vt est oratio, & reliqua paulo antè a te enumerata, instrumentaliter. Plenius tibi hanc distinctionem exponerem, si non ad eas, quæ adhuc supersunt, huius beati viri visiones festinarem. Quodam tempore cum grauer in firmaretur, & a ministro vt aliquantisper gustaret rogaretur, dixit quod septem dies transissent, in quibus singulis visitationem Domini nostri Iesu Christi & dulcissimæ matris eius Mariæ accepisset, de quorû visitatione tam dulciter esset refectus, quòd nullum cibi vel potus haberet appetitû. Alio itidem tempore cû agrotaret infirmitate peremptoria, & filio suo prædicto Ioâni quasdam visiones recitaret, cognoscês hoc dominus Geuardus, tunc infirmarius ibidem, postea Abbas noster, a quo hæc audiimus, ad Priorem currit, & quia dominus  
Christi



Christianus quædam mirifica filio suo recitaret, nunciavit. Mox Prior ad illum veniens, & coram ipso sedens, si aliquid loqui vellent de confessione ex industria interrogavit. Cui cum responderet, confessionem feci, subjunxit: Rogo ut aliquid mihi dicatis ad ædificationem. Tunc ille: Quid dicam vobis? Iam enim domina nostra sancta Maria fuit ante me cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, & quia horas meas ob corporis imbecillitatem dicere non potui, ipsi me iuverunt: quædam horas speciales dicere consueverat. Vniuersa hæc audiuit prædictus Geuardus post tergum Prioris sedens. Interrogatus etiam, qualia haberent vestimenta, respondit: Cucullas sicut & nos. In tali enim habitu se ei ostendere dignati sunt, qualem ille pro eis susceperat. Sicque sine beato decedens, ab ipsis receptus est, a quibus moriens fuerat visitatus, & in æternis sedibus cum gloria locatus.

## CAPVT XVII.

**N**Vper monachus quidam ordinis nostri, Adam nomine, per nos transiens, inter cætera, mirifica quædam de domina nostra sancta Maria nobis recitavit, quæ in suo monasterio veraciter contigisse testabatur, ex quibus etiã duo nunc proferam, reliqua locis competentibus reseruabo. Vocatur autem domus eius Lucka, & est sita in Saxonia. Est ibi custos vir bonus & religiosus, qui cum nocte quadam oratorium intraret ante matutinas, dominam nostram sanctam Mariam, tanquam oratorii patronam, super altare in multa gloria residere conspexit. De qua visione valde lætificatus est, sperans ministeriũ suum illi placere. Alio verò tempore, cum ostia oratorij referaret, venissetque ad cæcellos, vbi hospitibus stare moris est, diabolus super feretrum, in effigie hominis nigerrimi, iacere vidit: qui cum se signaret, nec ille fugeret, mox ut propius accessit, fantasma evanuit. Tunc ad confusionem diaboli super ipsum feretrum se composuit, tam diu in eo iacens, donec septem psalmos pœnitentiales decantasset.



**A**lius quidam ex monachis eiusdem loci, vir tanta gratia dignus, nocte quadam dominam nostram sanctam Mariam vidit eorum psallentium circuire, & singulorum monachorum vultus detegere, duobus tantum neglectis, ex quibus vnus mox incurrit apostasia; de altero quid adhuc futurum sit ignoratur.

## CAPVT XIX.

**I**n eodem cenobio monachus quidam, nocte quadam putans in oratorio nolam ad matutinas esse pulsatum, cum multa festinatione surgens, oratorium intrauit, veniensque ad presbyterium, circum nimie claritatis, ad instar iridis formatum, in aere super altare conspexit. In quo Dei filium Saluatorem nostrum Iesum Christum cum beatissima matre sua Maria contemplatus est, & circa ipsos ex omni parte multitudinem Sanctorum, illorum maximè, quorum in ecclesia reliquie continebantur. Nouerat enim illorum nomina, eo quòd quandoque ibidem fuisset sacrista. Nec mihi constat, si idem fuerit qui supra. Scite eo in loco prædicto, ait domina nostra duobus angelis: Adducite eum ad me. Quo facto, cum literas in circuitu coronæ beatæ Dei genitricis scriptas legere iuberetur, nec posset; ait illa angelis; Deponite eum ad terram, ibique petens veniam dicat angelicam salutationem, & reducatur. Quod cum factum fuisset, & adhuc easdem literas minimè legeret; tertio eodem modo depositus & reductus, literas quidem legere & intelligere potuit, sed ne scripturam vlli hominum proderet, interdicitum accepit. Quo ad terram ab angelis deposito, disparuit hæc visio. **APOLLONIVS:** Mitior, si sic Domina nostra visitet perfectas feminas, quomodo viros: **CAESARIUS:** Non est apud ipsam differentia, femina nata est, omnium virorum caput Christum ex se genuit, vtrumque sexum consolatur & visitat, vtrique sua secreta reuelat. Hoc esse verum, magis tibi ostendam exemplis, quam verbis.



**I**N regno Franciæ villa, quæ Quido dicitur, virgo quædam fuit nobilis & religiosa, sed paralytica. Huic pater suus, utpote vir magnus & diues, sacerdotem, qui ei diuina celebraret, instituit, ministros annuosque redditus sufficienter ordinauit: quæ cum orationibus, ieiuniis, & diuinæ contemplationi operam daret, ita illarum dulcedine est pasta, ut omnis cibus corporalis ei in nauscam verteretur, nec aliquid ex eo sumere posset, nisi succum modicum vuarum. Hospitalis erat valde, per quam & spiritum meruit prophetiæ. Ordinem nostrum summo honore reuerbatur, & hoc ei sæpissime contigisse fertur, ut cum aliqui monachorum siue Abbatum ad eius hospitium diuertere proponerent, illorum aduentum ipsa præsciret, atque in hunc modum hilaris familiæ prædicet: Tali ac tali die illi & illi Abbates siue monachi ad nos venturi sunt, preparate necessaria, quod ita factum est. Visionem quandam mirificam de ordine videre meruit, quæ in ordinis amorem illam plurimum accendit. Tempore quodam capituli generalis in ipso capitulo scalam miræ pulchritudinis usque ad cælum vidit erectam, dominumque innixum scalæ super capitulum respicientem, cuius latera & gradus tantum splendoris erant, ut solares radios superarent. **A P O L L O N I V S**: Quid tibi autem significasse videtur hæc visio? **CÆSARIVS**: Licet omnia, quæ in eodem capitulo tractabatur ab Abbatibus, qui ex diuersis mundi partibus illuc confluxerant, diuina inspiratione fierent, haud dubium tamen quin sancti angeli, descendentes & ascendentes, eadem Christo, ob cuius honorem fiebant, nuntiarent. **A P O L L O N I V S**: Videtur mihi sancta hæc virgo in visione hac sancto Iacob patriarchæ æqualis, quem similem visionem in Bethel scriptura vidisse commemorat. **CÆSARIVS**. Iudicio humano videtur hæc visio illa superior, eo quod illa facta sit in somnis, ista vigilando in excessu mentis. Sequenti capitulo, cum relata fuisset hæc visio Abbatibus, exultantes in Spiritu sancto aiebant: Verè

*Etiã fo  
minas vñ  
stat B.  
Virgo  
Maria.*

*Gen. 28.*



terribilis est locus iste, non est hîc aliud nisi domus Dei & porta cœli. Alio tempore cùm in die Purificationis dominæ nostræ sanctæ Mariæ Virginis, clericis aliisque ministris diuino nutu absentibus, sola iaceret, intra se tristis, dicebat: Modò hîc sola iaces, nec aliquid obsequij more ecclesiæ vniuersalis hodie beatæ Dei genitrici Mariæ impendis. Dum taliâ in mente volueret, spiritus eius mirabili Dei virtute de corpore eductus, ab angelo in cœlestem Ierusalêm est deductus, in qua maximam vidit processionem, ex diuersis eiusdem beatæ ciuitatis ordinibus, Patriarchis videlicet, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, ceterisque fidelibus: ex quibus bini ac bini simul incedebant, & candelas ardentem in manibus gestabant, antiphonas, siue responsoria, ad diem pertinentia, more ecclesiæ militantis, omnes decantabant, & stationes debitas obseruabât, Angelus verò virginis ductor, alteri cuidam virgini, quam nouerat esse consimilis meriti, illam sociauit, candulam porrigens ardentem: Tantus erat decor omniû, tâta gloria, in dispari tamen claritate singulorum, vt nulla lingua fieri sufficeret. Saluator verò, qui caput est omniû Sanctorû, splendor gloriæ, & sol iustitiæ, indutus pontificalibus, mitram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, & annulo, & reliquis episcopalibus ornamentis, nouissimum locum cû sanctissima matre sua Maria tenebat: cuius puritatem omnis ille cœlestis exercitus mirabatur. Qui cû post tertiâ stationem inchoasset antiphonâ: Hodie beata virgo Maria puerum Iesum præsentauit, & c. ingressi sunt templum ex auro gemmisque constructum. Deinde inceptus est missæ introitus, videlicet: Suscepimus Deus misericordiam, & ab omnibus simul decantatus. Interim Christo introeunte ad altare, postquâ expletum est Kyrie eleisõ a choris alternatim, post Gloria in excelsis Deo, & c. quod ipse Dominus noster Iesus Christus inchoauit, beatus Protomartyr Stephanus epistolâ legit de libro Malachiæ prophætæ, videlicet, Ecce ego mitto angelum meum. Sanctus verò Ioannes Euangelista

*Mala 23*

dalma-



dalmatica indutus, legit Euangelium secundum Lucam, scilicet, Postquam impleti sunt dies purgationis Marię, & cętera, quo perlecto, Dñs secundū morē ordinis nostri ad gradū rediit, & ab offerentibus candelas suscepit. Prędicta autē virgo, per spiritū sentiēs se ad corpus reuersurā, candelam suam offerre noluit, etiam angelo suo pręcipiente, volēs illā secum ad terras portare: quod angelus considerans, candelam in manu eius fregit, superiorē partē auferens, & inferiorē illi relinquens, sicque ad corpus reuersa, partē eādem manu conclusam se retinuisse inuenit. De qua plurimę fiebant & fortē vsque hodie fiunt virtutes: Nā aquam superfusam infirmi bibunt, & conualescunt. Tam manifesta & sublimis erat visio, vt modum eius minimē intelligeret, dicens illud Apostoli cū de ea interrogaretur: Siue in corpore siue extra corpus, nescio, Deus scit. Dominus Eustachius Abbas de Claustro siue Hēmenrode visitator noster, audiēs hęc visionem quibusdam Abbatibus referentibus, desiderio veritatis cognoscendę, virginē principaliter adiit, & ab eius ore, quę dicta sunt, audiuit. A P O L L O N I V S: Non possum visionem Apostoli huic pręferre, qui se vsque ad tertium cęlum raptum fuisse testatur. C A E S A R I V S: Nosti quid sit tertium cęlum? A P O L L O N I V S: Non. C A E S A R I V S: Primum cęlum visio est corporalis, secundum visio spiritualis, tertium visio mentalis, hac vsus est in suo raptu Apostolus, sicut & hęc virgo: quod viderunt, hoc & intellexerunt. Si autem quęris de loco, primum cęlum intelligas æreum, secundum sydereum, tertium empyreum: in hoc corpora electorum erunt post resurrectionem gloriosam. Verūm an ad hoc cęlum nec ne corpore rapta sit hęc virgo, nescio, Deus scit. Aliam verò Deus illi ostendit visionem, multo hac excellentiorem. Cū tempore quodam cogitaret de abyssō æternę prędestinationis, & ineffabili sacramento, atque remedio diuinę incarnationis, facta in excessu, virginē coram se vidit crySTALLINĀ, id est admodū crySTALLI perlucidā, in cuius vtero cōtemplatus est infantē pulcherrimū,

LUCĀ 2.

Haymo  
in cap.  
postter.  
epist. ad  
Cor.



regio diademate coronatum. Habebat autem idem diadema quatuor flores eminentes, qui, ea intuente, fursum ascendentes, & virginis cerebrum excrescentes, in ramos arboreos protecerunt, & modico spatio temporis emeso, quattuor mundi partes impleuerunt: quorum fructus erant pulcherrimi, odoris eximij, mirique saporis. Et ecce, sub ramis eiusdem apparuit omne genus humanum, a protoplasto Adam usque ad ultimum, qui in fine mundi nasciturus est. Soli vero electi, fructus arboris carpebant, eisque vescebantur; reprobi autem nihil ex eis contingere vel vesci poterunt. In qua visione, tantam diuinitus accepit scientiam, ut postea loquens de aliquo, mox intelligeret verum esset predestinatus vel prescitus. Si vero predestinatus, satis cum illo, quasi cum ciue, loqui delectabatur: si autem prescitus, mox se ab eius colloquio liberavit. APOLLONIUS: Mira sunt quae dicis. CAESARIUS: Si Deus tanta & talia iustis ostendit in via, quanta putas illi ostendet in patria? Reuera, quae oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Die quadam cum corporale, quod iam lauerat, panno mundissimo substato, radiis solaribus per fenestram immisissis super genua sua desiccaret, matrona reuerendissimi vultus ad illam ingressa, infantem pulcherrimum, quem manibus gestabat, eidem corporali superposuit & abiit, quem cum amouere vellet, ignorans quis esset, ait infantulus: Sine me sedere super linteamen meum, sicque in oculis eius disparuit: & cognouit, quia Christus esset, qui sub specie panis super sanctum altare eidem linteo inuolui consuevit. Multa alia huic virgini reuelata sunt, quae mihi non sunt relata, quae forte ab aliis sunt conscripta. Non est diu, quod ab hac luce migravit, laboris sui ac patientiae mercedem receptura.

*De Christina virgine monialis S. Walburgis.*

## CAPVT XXI.

**I**N monte sanctae Walburgis, coenobio ordinis nostri, quod duobus miliaris distat a Colonia, quaedam sanctimonialis virgo ante paucos annos est defuncta, nomine Christina. Huic dominus &



& beata eius genitrix plurima de secretis suis reuelauerunt, ex quibus aliqua, nō per ordinem, sed sparſim tibi replicabo. Cū tempore quodam, in feſtiuitate aſſumptionis glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ, viſitaret apud nos in Heiſterbach prædictus Euſtachius pater noſter, & eſſent cum eo plures Abbates in ipſa ſacra- tiſſima nocte, iam dicta virgo de loco noſtro viſionem vidit huiuſmodi: Cū Abbas præfatus dicto Euan- gelio hymnum, Te Deum laudamus, inchoaſſet, illa ſtans in choro ſuo, mentis exceſſum paſſa eſt, vidit- que cælum ſuper congregationem noſtram apertum. Et cū illo in tempore oratorium noſtrum totum eſ- ſet ligneum, vtramque eius frontem auream eſſe con- ſpexit. Suſtollens oculos, cū cælum intueretur, glo- rioſam Dei genitricem Mariam, rotius ordinis noſtri patronam, in ſede ſplendidiſſima vidit reſidentem, & circa illam Sanctorum multitudinem, quorum ætas circa viginti quinque annos eſſe videbatur. Cū ve- rò chorus monachorum inclinando deuotè canta- ret, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus ſabaoth, ipſa Virgo beatiſſima deuotioni eorum cōgratulans, coronam miræ pulchritudinis, quales in eccleſiis pen- dere ſolent, per catenam auream ſuper conuentum demiſit. Loco autem nodi, gemma erat pretioſa ni- mis ac lucida, in qua ſcriptum erat: O clemēs, O pia, O dulcis Maria. De ipſa gemma, tria procedebant brachia, quæ coronam depēdentem tenebant. Ex no- mine verò Maria, radij quidam exeuntes, nomina ſin- gulorum monachorum, eadem hora in choro existen- tium, quæ per circuitum coronæ ſcripta videbantur, illuminabant. In eiſdem nominibus magna erat inæ- qualitas, tam in poſitione quàm in claritate, quia ſe- cundū claritatē meritorum erat claritas nominū, & quorundam nomina, qui recentiori tempore vene- rant, quorundā nominibus videbantur ſuperiora, qui diu in ordine laborauerant. Ex quo colligitur, quod merita Domino famulantiū nō conſiſtant penes ſpa- tiū temporis, non in labore corporis, ſed magis penes feruorē deuotionis. Cū autem ventum eſſet ad illum



locum: In te Domine speravi, non confundar in eternum, coronam retraxit in cœlum, clara voce dicens: Sicut ego hodie sum in gloria mea, ita isti omnes mecum erunt in aeternum. Cum nihil apud nos de hac visione sciretur, Theodericus de Lureke monachus noster, accedens ab Abbatem nostrum, dominum Hericum, conquestus est ei quod eadem sanctissima nocte nihil potuisset habere deuotionis, antequam ventum fuisset ad prædictum locum hymni, scilicet, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. De quo verbo postea satis mirabatur, cum ei visio recitata fuisset. Antequam eadem sanctimonialis veniret ad ordinem, essetque nubilus & adulta, die quadam stans ad missam in ecclesia quadam, cum lecto euāgelio campanarius exisset, putans se posse redire ante, Sanctus, sanctus, &c. & sacerdos expletis secretis dixisset. Per omnia secula sæculorum, Dominus vobiscum, Sursum corda &c, quæ ibi sequuntur, imago Dei genitricis semperque Virginis Mariæ desuper altare ad singula respondit. Illa nouitatem vocis considerans, ut campanarium abesse deprehendit, defectum illum gloriosam virginem suppleuisse per os suæ iconæ non dubitauit. Ex quo nobis verecundta inculitur, si ibi desides & negligētes fuerimus, cum circa illud ineffabile sacramentum, tanta sint sanctorum obsequia. Quod autē gloriosi nominis matris Domini inuocatio, erga agros salus sit & medicina, subjecta probant exempla.

## CAPVT XXII.

*B. Virginis inuocatio agris est medicina*

**I**N Arnsburgh, domo ordinis Cisterciensis, fuit quidam frater, deuotissimus erga beatam virginem Dei genitricem Mariam: hic dum aliquantum temporis in eius domo seruitium peregisset, actu cordis incredibili cœpit anxari, aliquam sibi specialem uisitationem à matre misericordiæ cupiens impartiri. Igitur intempestè quadam noctis hora, dum in strato se ad requiescendum collocasset, oculis somnum non capientibus, toto cordis affectu fiducialiter inuitare cœpit beatam virginem, ut de alta sede polorum descenderet ad se inuisendum. Tum repente



tē è lecto profilit, & pomarium quoddam dormito-  
 rio contiguum ingreditur: in quo aliquantum refe-  
 dit, oculis cordis & corporis sursum erectis, tum ecce  
 virgo pulcherrima ingreditur, his eū verbis alloquēs:  
 Nunquid non desideratis audire cantum meum? Quo  
 respondente, Desidero; tam dulciter modulata est,  
 vt vix aures humanæ sufferre possent. Melodia autem  
 illa terminata, inclinavit se virgo, abiit. Et post pusil-  
 lum, vidit aliam virginem ingredientē, ad instar prio-  
 ris, nimio fulgore micantem, quæ etiam dulce melos  
 cecinit, & recessit. Quas intellexit fuisse beatam Ca-  
 tharinam & Agnetem. Et post paruum intervallum,  
 ecce gloriosissima mater misericordiæ Maria, per se-  
 metipsam visitare dignata est deuotum sibi famulum,  
 quæ etiam omnes sibi in veritate seruiētes neque hic  
 neque in futuro sua gratia destituet. Venit ergo cir-  
 cumuallata agminibus angelorum, omnem terræ no-  
 tidis horrorem vultus claritate ac splendore lampada-  
 rum fugans, propiusque accedens, blanda voce eum  
 compellare cœpit: O frater charissime, si placuerit,  
 qualitercunque recompensabo deuotissimum famu-  
 latum tuum, dulci melodia. Beata itaque virgine me-  
 los præcinente, frater ille quasi in extasi factus, in fa-  
 ciem corruit, & omnis illa visio disparuit. Interim fra-  
 tres ex more ad matutinalem surgunt synaxim, præ-  
 dicti fratris absentiam vehementer admirantes, quia  
 nunquam diuinis officiis se subtrahere solitus erat,  
 nisi graui infirmitate depressus, vel quolibet vtili ne-  
 gotio occupatus. Quapropter, quia reuerendus om-  
 nibus habebatur, officinas totius monasterij perlus-  
 trantes, tandem in prædicto pomario repererunt,  
 vultum habentem in terram demissum; quem leuan-  
 tes, & in lectum deponentes, omnem diligentiam  
 adhibuerunt. Qui sospitati redditus, per præceptum  
 Abbatis sui, coactus est omnem rei ordinem pandere.  
 Qui postea non ingratus beneficiis sibi collatis, reli-  
 quum tempus vitæ feruentius in Dei seruitio atque e-  
 ius piissimæ genericis perfecit, tandemque sine beato  
 requieuit. Hæc mihi relata sunt a religiosa vidua, so-



rore eiuſdem fratris, quæ omnia teſtata eſt ſe vereciter intellexiſſe.

## CAPVT XXIII.

**N**obilis vir Otto, quandoque Xanteniſis præpoſitus, tempore quodam adoleſcentiæ ſuæ, duplici laborabat infirmitate, febre videlicet acuta, & fiſtula in locis naturæ ſecretioribus, quam infirmitatem ob verecundiam medicos celâs, & pro remedio ſanitatis Dominam noſtram frequenter inuocans, febre inualeſcente deſperatus & deſiſtus, candelâ, more ſecularium, manui eius impreſſa, omnibus qui aderât viſus eſt expiraſſe. Et ecce beata virgo Maria, quâ inuocauerat, ſpiritu ei viſa eſt ad eſſe cû filio, his verbis eû pro iuvene interpellans; Fili, inquit, da mihi puerum iſtum. Qui reſpõdit, tuus ſic. Ad quod verbum mox cœpit agrotus, velut circumſtantibus viſum eſt, mortuus reſpirare atque confortari, in tantum, vt in lectum ſuum ſe iuberet reponi. De febre per interceſſionem beatæ virginis tunc bene curatus, cû adhuc fiſtula laboraret, tacito morbo, per totam ciuitatem Traiectenſem miſſarum ſuffragia, maximè de Domina noſtra, pro ſua incolumitate ſibi impendi poſtulauit. Et quia medicinam ſpiritualem medicinæ corporali præpoſuit, antequam miſſæ omnes eſſent peractæ, ſacramenti virtus fiſtulam dirupit, & ſanies erupit, ſicque integraliter ſanatus, pro gratiarum actione cruce ſignatus eſt. Eodem tempore veniens Vercellas ad domum ordinis noſtri, Dominum Walterum, quandoque magiſtrum ſuum, & tunc nouiter conuerſum, modò Abbatem Vilarienſem ibidem reperit & ſalutauit, cui etiam ordinem ſuæ miraculoſæ curationis recitauit, hæc adjiciens: Vtinã modò non eſſetis hic, vt ſimul mare tranſire poſſemus. Quem cû interrogaret de quibusdam vitiis, quibus illum aliquando ſubiacere nouerat, & ſi de illis ſe emendaſſet, & ille reſpondiſſet, non, ſubiecit: Certè malas gratias curatori & curatrici veſtræ rependitis. Poſtea verò ſchiſma propter ipſum in epiſcopatu Traiectenſi ortum eſt, & extitit cauſa multorum malorum.



lorum. Hæc nobis prædictus retulit Abbas Walterus. Quam medicinale sit nomen Mariæ, quodam iocundissimo pandam tibi miraculo.

## CAPVT XXIII.

**A**Nte hos annos, cum Catholici contra Albicenses hæreticos fuissent signati, & iam non modicum ab eisdem essent ijdem hæretici exacerbati, duo honesti clerici per terram illorum transeuntes, cum ecclesiam vidissent in via desolatam, ait vnus alteri: Sabbatum est, intremus ecclesiam hæc, & dicamus missam in honore Dõminæ nostræ. Portabant enim secum librum, calicem, & indumenta sacerdotalia. Antequam esset missa completa, hæreticis proditi sunt; qui armata manu intrantes, & sacerdotem de ecclesia trahentes, linguam eius radicitus absciderunt. Quem socius cum multo labore Cluniacum deducens, monachis commendauit. Illi verò, sicut viri Catholici & religiosi, sacerdotem Catholicum & notum, propter fidem Christi & genitricis eius Mariæ honorem tam crudeliter mutilatum, deuotè suscipientes, omnem ei humanitatem exhibuerunt. In nocte verò Epiphaniæ, cum solemnes decantarentur vigilie, baculo parietem pulsans, ministros aduocauit: qui cum quærent quid vellet, & ille se in oratorium deportari signaret, volentes ei parcere, non acquieuerunt. Tandem, importunitate eius tædiati, in ecclesiam eum ducentes, ante altare quoddã deposuerunt. Qui cum matrem misericordiæ tota mentis deuotione inuocasset, illa ei apparès, & carnè linguæ formam habentē in manu tenes, respõdit orãti: Quia propter fidē filij mei, & honorē mihi exhibitū, lingua tua priuatus es, ecce nouã tibi restituo, aperi ergo os tuum: quod cū fecisset, digitis ori eius immisis, radici linguæ præcisę eandē carnē coniunxit & vniuit, sicq; disparuit. Qui mox cū angelo in vocē laudationis erumpēs, clara voce clamauit; Aue Maria, gratia plena, Dñs tecū, vsq; ad finē. Quã salutationē cū crebrius repeteret, stupētes accurrere ministri, accurrerūt & de choro monachi, de tã puro & tam iocundo miraculo Deum  
 eius.



eiusque genitricem glorificantes. Non immemor collati sui beneficii clericus, in eodem cœnobio factus est monachus. Cùm Ioannes Scolasticus Xantensis circa idē tempus esset in prouincia Albiensium cum exercitu Domini, audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum venit, iam dictum monachum sibi ostendi petiuit, & obtinuit, linguam vidit, ab eius ore, quæ dicta sunt, audiens. Sicut nobis retulit idem Ioannes, reliqua carne candidior est, in loco præcisionis seruans cicatricem. Huius miraculi testis est vniuersus Cluniacensium conuentus, vsque hodie.

## CAPVT XXV.

**A**Dam sacerdos & monachus in Lucka, cuius supra memini ca. 17. cōsiderans me in huiusmodi miraculis delectari, ex multa charitate mihi de seipso retulit, quod dicturus sum: Cùm inquit, essem puer, ita caput habebam scabiosum, ut præ fetore putredinis eius mecum sedere vel legere scolares recusarent. Prima oratio quam didici, salutarior erat angelica, adhuc puerulus satis eam frequentans. Cùm apud monasterium Westphaliæ positus fuisset ad literas, & eūdo ad scholas, siue ad matutinas, quotidie transirem per quandam ecclesiam conuentualē ex necessitate viæ sine intermissione ante oratorium, in honore Dei genitricis Mariæ dedicatum, cū tribus veniis, totidem feci salutationes. Nocte quadā putans ad matutinas fuisse compulsatum, surrexi tremens, & cū venissem ad iam dictum monasterium, essetque oratorium clausum, tribus vicibus, secundum consuetudinem, genua flectendo, Dominam nostram angelico versiculo salutavi. Surgens verò, inueni ostium apertum, & tanta erat in ecclesia claritas, ut fulgori meridiano assimiletur: quam cū stupidus intrassem, vidi ante maius altare septem matronas pulcherrimas residentes, vnam in medio, quæ cæteris clarior erat, & sex hinc inde, id est tres à dextris & tres à sinistris. Media verò me vocās, cū propius accessissem ait: Bone puer, quare non adhibetur cura



cura capiti tuo? Respondente me: Domina, satis circa me laborauerunt amici mei, sed nihil profecerunt, subiunxit illa: Nosti quæ sim? Cui cum dicerem: Non domina. Respondit: Ego sū mater Christi, & domina huius oratorij: quia mei memoriam solitus es habere, ego tibi curā adhibeo: Accipe fructus ligni fusilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput tribus vicibus ante missam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, statimque curaberis: & adiecit: Ad me accede Adam, quod & feci. Flectente me coram ea genua, manum super caput meum ponens, ait: Ab hac hora usque ad diem mortis tuæ non dolebis caput. Manè verò cuidam fratri, qui me nutriuit, omnia retuli, qui in vallem proximam descendens, & ostensos fructus colligens, prædicto modo caput meum lauit, statimque conualui. Dolorem verò capitis nunquam ab illa hora passus sum, cum tamen hoc in ordine satis sit miraculosum. **APOLLONIVS:** Ut video medicina beatæ Virginis nihil efficacius, nil salubrius est. **CÆSAR.** Nec mirum, ipsa medicum genuit, ipsa medicinam generis humani ex se produxit. Vnde Scriptum est: *Genes. 1.* Germinet terra herbam virentem secundum genus suum, id est, Maria Christum hominem, qui animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est. Itè expressius in Ecclesiastico; *Ecclesi. 38.* Altissimus de terra creauit medicinam, id est, ex carne virginis Mariæ Saluatorem: **I E S V S** interpretatur Saluator, siue salutare: quia saluator medicus est, & salutare medicina est. Quòd Maria terra sit, testis est Isaias, qui dicit: *Isai. 49.* Aperiatur terra, & germinet Saluatorè. Quòd de hac terra creatus sit, idem propheta dicit in persona Patris: *Isai. 43.* Ego Dominus creauit illum. Et Apostolus dicit eum factum ex muliere. *Galat. 4.* Quid ergo mirum, si apud ipsam sunt medicamenra sanitatum, quæ hortus est aromatū? *Cant. 6.* Dilectus meus, inquit, descēdit in hortū suū, id est in vterū meū, ad areolā aromatū. Considera rupem Saluatoris, amatoris, & alia loca in honore ipsius dicata, & non miraberis, si parata fuerit ad medendū, & efficax ad sanandū. Vnde in monte Pessulano, vbi fons



fons est artis physicae, tantas operatur sanitates in quadam sua ecclesia, ut medici gratiae invidentes, pauperibus infirmantibus, & pro remedio sanitarum ad se confluentibus, dicere soleant: Ite ad ecclesiam sanctae Mariae, deferte ei lumen, & recipietis sanitatem: & cum hoc ironice dicant, pauperes, ab eis passi repulsam, ad ipsam confugiunt, & sanantur. Numquid non vides quam celerem sanitatem consequantur febricitantes, ieiunium trium sabbatorum usque post solis occasum ipsi vouentes? APOLLONIUS: Video & admiror. CAESARIUS: Considera iconam eius in Sardanay, quae in carnem versa, oleum sine cessatione stillat. Huius rei testes innumerabiles sunt, qui de eodem loco in instanti venientes, oleum, quod in oculis ipsorum de eadem sacra imagine receptum est, tam nobis quam ceteris religiosis distribuerunt. In quibusdam vero ampullis, te teste, idem oleum incipit incarnari. Quod virtus nominis Mariae daemones fuget, praestitum sunt exempla.

## CAPVT XXVI.

*Demoni  
fugantur  
inuo-  
catione B.  
virginis.*

**R**etulit mihi Walterus de Birbach monachus de Hemmenrode, diabolum cuidam Conuulso ordinis nostri ita fuisse infestum, ut non per signationem non per aliquam orationem ab illo posset liberari. Visibiliter illi apparens, multis modis eum terruit. Suasum est ei a quodam viro religioso, ut angelicam salutationem contra occurrentem proferret. Quod cum fecisset, malignus spiritus, quasi turbine impulsus, clamauit: Diabolus dentes ei excutiat, qui te hoc docuit. Sicque liberatus est ab eo.

## CAPVT XXVII.

**I**nclusa quadam, sicut mihi retulit Superior noster, qui illam nouit, diu a daemone sub specie angeli illudebatur: non ei data fuerat discretio spirituum. Diabolus sapius falsa quadam circumfusis claritate illi apparuit, & feminam simplicem familiariter alloquens, die quadam in huiusmodi verba prorupit: Nunc venio remunerare te. Requisita eodem tempore a confessore suo, quomodo haberet, cum ei responderet, Obtinere: sacerdos, sicut vir prudens, fiducia



duciam responſionis eius conſiderans, cauſam inquit. Cui cum conſiteretur, quod ab angelo Domini crebrius viſitaretur, ſciens ille docente Apoſtolo angelum tenebrarum ſe tranſfigurare in angelum lucis, reſpondit: Quando angelus denuo viſitabit te, dices: Rogo domine mi, vt dominam meam S. Mariam mihi oſtedas: quod ſi fecerit, viſa ea, genua flectes & dices: Aue Maria gratia plena, &c. Et ſi tunc ſubſtiterit, fictio nō eſt; ſin autem, ſcias tibi à diabolo illudi. Quæ cum feciſſet, ſicut fuerat edoſta, ait diabolus: Vt quid deſideras videre illam? bene tibi ſufficere debet præſentia mea. Illa forriter inſtante, opere diabolico, virgo miræ pulchritudinis ſe oculis eius obiecit, qua viſa, mox ad pedes eius incluſa ſe prouoluit, & contra fantaſma angelicam ſalutationem proferendo, in turbinem illud reſoluit. Quam tamen inimicus euaneſcens in tantum terruit, vt amēs facta, vix poſt annum dimidium, multorum precibus adiuta, ſenſum recipe- ret. Vides pūc quanti ſit ponderis nomen Mariæ. APOLLONIVS: Bene video, & non ſine admiratione, tam ex præſenti, quàm ex prædictis exemplis, virtutem eius conſidero. CÆSARIVS: Inuocatio huius nominis non ſolū corruptores mentium, id eſt demones, ſed & corruptores corporum, ſcilicet malos ac libidinos homines, eneruat.

## CAPVT XXVIII.

**M**atrona quædam cuiuſdam honeſti militis vxor, inſtinctu diaboli, militem alium admittit: quæ poſt tempus aliquod, inſpiratione diuina, ducta pœnitentia de crimine doluit, & adultero proſus cōtradixit. Ille verò mariti eius abſentia obſeruans, domū illius intrauit, & cum ſolam reperiffet, verbis ſolitis ad crimen ſolitū eā inuitauit: quod cum illa renueret, vi renitentem opprimere niſus eſt: & cum videret ſe illi non poſſe reſiſtere, vtpote femina debilis ac delicata fortiffimo militi, ad totius caſtitalis patronam confugit, dicens: Rogo te domina ſancta Maria, per illud ſanctum Aue Maria, quatenus in hac hora liberaſ me. Ad q̄ verbū,

virtus

2 Cor. 12.

A libidine  
noſis li-  
berat.



virtus omnis in milite defecit & emarcuit, & femina se ab eius amplexibus excutiens, incorrupta evasit. Postea requisita a milite de causa virium sibi subtractarum, respondit illi: Non mea virtute, sed gloriosi nominis Dominae nostrae hoc actum est: quod cum audisset ille, territus est, nec amplius adulterij verbum ad illam facere praesumpsit. APOLLONIVS: Benedictum sit nomen Mariae. CAESARIUS: Quod vincula solvantur eius virtute, etiam per exemplum tibi ostenda.

## CAPVT XXIX.

*Vincula  
soluuntur.*

**E**odem tempore, quo dominus Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus aedificavit castrum in Furstinberg, contra nobilem virum Gerrardum de Brubach, iuuenis quidam miles de eius exercitu, Theodoricus nomine, facere sibi volens nomen, ante idem castrum captus est. Diu ibidem incarceratus, cum pecuniam pro sua solutione dare spondidisset, extractus de carcere, positus est in domo superiore, cui addita sunt vincula, & serui ad custodiam deputati: habebat enim circa pedes annulos ferreos, & circa brachium eiusdem generis manicam, quae annexa catena parieti cautè satis erat infixæ. Noctè quadam cum esset dormiens inter sex satellites, tam se quam reliquos captiuos custodientes, & dominam nostram nec non & alios sanctos solitò inuocasset, obdormiuit. Et ecce in somnis vidit se transpositum in monasteriũ nostrum, de quo cum vellet egredi, sedens in equo more femineo, necessitate vinculorum, dixerunt ei duo ex monachis nostris, Monegundus scilicet & Henricus cognati eius secundum carnem: Nolite egredi, sed reuertimini, quia sancta Maria de Heisterbach liberabit vos, hoc etiam nomine vocatur domus nostra. Ad quod verbum ille euigilans, gauisus est, & de visione cogitans, vtrumnam esset vera an fantastica scire volens, mox vt digitos amouit, pedem vnum sine difficultate extraxit; simili facilitate manum a catena liberavit. Sæpius ista tentauerat, sed non profecerat: eumque ex motu vinculorum vnus seruorum euigilasset, territus miles, circulum reponere voluit, nec potuit.



potuit. Tunc primùm intelligēs, tale miraculum Dei genitricis meritis circa se gestū, seruo rursū obdormiente, leniter surrexit, & vincula adhuc seruans in vno pede, per lintheam per fenestram se dimisit & fugit. Quod dum seruus comperisset, clamore fugam eius prodidit, sed manus humana capere non potuit, quod virtus diuina protexit. Multi eum tubis & canibus insecuti sunt, & cū sapius in proximo sub frutetis latitaret, inuenire eum non potuerunt. Qui ad nos veniens, eosdem circulos pro gratiarum actione super altare beatæ Mariæ virginis obtulit, & qualiter eius meritis liberatus sit, nobis per ordinem recitauit. Acta sunt hæc anno gratiæ M. CC. XIX. APOLLONIVS: Quia eosdem circulos vidi, ampliùs eidem credam miraculo. CÆSARIVS: De hoc etiam quod timores pellit nomen Mariæ, rem, quam nuper audiui, tibi referam.

## CAPVT XXX.

**I**N\* Peloge villa diœcesis Treuerensis sacerdos quidam paræciam regit, vir secundū suam possibilitatem multæ hospitatis, atque laudandæ castitatis, adhuc enim corpore virgo est. Die quadam quendam ex Conuersis nostris hospitiū recipiens, ait ad illum: Ordinem vestrū plurimum diligo, quia multum boni mihi contigit per eum, Antiphonam illam gloriosam, scilicet, Salue regina misericordiæ, ab illo habeo, & quid mihi propter illam contigerit, ad ædificationem vobis enarrabo. Ad omnes horas meas illam dicere consueui: cū autem die quadam campū breuem trāsirem quandam visitare inclusam, iuxta ecclesiam solitariam habitantem, orta sunt tonitrua tā valida, vt ictus ictui succedens, vires ambulandi mihi adimeret: veniens tandem cum multo labore ad ecclesiam ipsam, intraui, & coram altari me prosternēs, pro ipsa tempestate Dominam nostram interpellauit: & ecce, matrona virginei vultus magnique decoris de altari ad me veniens, cū admirarer, quænam esset, illa prior me allocuta est, dicens: Quia Antiphonam, Salue regina misericordiæ, libenter ac frequenter de-

*Maria  
nomen  
timores  
pellit.  
\* aliàs  
Poilche.*



cantas, nunquam tonitrua neque fulmina, quorum timore sæpius affligeris, te lædent, sicque ad altare rediens, in oculis meis disparuit; & statim intellexi, quia ipsa esset clemens illa, pia, ac dulcis virgo Maria. Ab illa hora, usque hodie, a timore prædicto tempestatum, quo nimis afficiebar, meritis beatæ virginis liberatus sum. APOLLONIUS. Quantum ex hac visione colligo, videtur quod in sequentiis, cantilenis, & hymnis, aliisque cantibus, in eius honore dictaris, plurimum delectetur. CAESAR. Hoc certum est, si tamen humiliter ac deuotè eis laudetur.

## CAPVT XXXI.

**T**empore quodam, sicut ex relatione religiosorum didici, cum conuentus sanctimonialium in Scouauiam, sequentiam, Ave præclara maris stella, in laudibus gentium Maria, in quadam solenitate sanctæ Dei genitricis decantaret deuotissimè; venerabilis virgo Elizabeth, tunc ibidem magistra, mentis excessum passa, ad illum versiculum: Audi nos, nam te filius nihil negans honorat: Vidit Dominam nostram flexis genibus pro eodem conuentu preces fundentem. Ab illa autem die usque hodie, ex institutione iam dictæ Elizabeth, idem conuentus ad eundem versiculum, cum sequentia decantatur, veniam petere consuevit.

## CAPVT XXXII.

**A**pud monasterium sancti Chrysanthi scholasticus quidam fuit, nomine Daniel, pueros illic instituens: huic consuetudo fuit, diebus singulis eiusdem ecclesiæ cryptam intrare, & coram altari flexis genibus prædictam sequentiam in honore Dei genitricis Mariæ decantare. Hoc cum per aliquod tempus actitasset, & ad illum versiculum: Ora virgo nos illo pane cœli dignos effici, semper surgendo veniam peteret; die quadam beata virgo super altare stans illi apparuit, & panem paruulum niue candidiorem manu tenens, ut os aperiret præcepit, quem cum ori eius immisisset, tantam ex eo sensit dulcedinem, ut omne mel & fauum superet. Iuuenem hunc dominus Daniel Abbas Scouauiæ bene nouit, qui mihi ipsam visionem

reci-



recitauit. Vis nunc scire, quia nominis eius inuocatio etiam tentationes compescat? APOLLONIVS: Hæc scire necesse est, quia tentationes nos frequenter molestant. CAESARIVS: Dicam tibi quod audiui ab Abbate nostro, & ipse se hoc didicisse veraci relatione testatur.

## CAPVT XXXIII.

**M**iles quidam ætate adolescens cum quodam *Fugatiōe*  
 milite diuite domino suo, à quo beneficiatus *tationes.*  
 erat, habitabat: & licet ætate floreret, amplius  
 tamen florebat virtute virginitatis. Inuidia operante  
 diaboli, ab vxore domini sui grauissimè cœpit tentari:  
 qui cum per annum eadem incessanter tentatione  
 laboraret, iamque ei intolerabilis esset, submota vere-  
 cundia, dominæ suæ quid pareretur aperuit: à qua re-  
 pulsam passus, amplius affligebatur; casta enim erat  
 matrona, & viro suo fidelis. Veniens ad quendam he-  
 remitam, à cuius consilio totus pendebat, passionem  
 suam illi cum lachrymis confessus est: cui vir sanctus  
 fiducialiter respōdit: O nihil aliud nocet tibi? ego da-  
 bo tibi consilium, vt desiderium tuum cōsequatur ef-  
 fectum. Per annum istum singulis diebus, si fieri po-  
 test, in ecclesia Dominam nostram Dei genitricē Ma-  
 riam centies, cum totidem veniis, angelico versiculo  
 salutabis, & quicquid volueris, per eam impetrabis.  
 Sciebat enim quòd castitatis amatrix iuuenē castū,  
 licet in errore positum, nō desereret. Cūq; iuuenis in  
 multa simplicitate Dominæ nostræ iniunctum obse-  
 quiū impenderet, die quadā sedens in mensa domini  
 sui recordatus est, quia dies eadem terminus esset an-  
 ni: & statim surgēs ascendit equum suū, vicināque in-  
 trans ecclesiā, orationes solitas expleuit: qui cum exi-  
 ret de ecclesia, vidit matronā pulcherrimā, omnē de-  
 corē humanam transcendentē, equum suum per fre-  
 num tenentem: miranti quænam esset, illa respondit:  
 Placet ne tibi species mea? Dicente milite: Nunquam  
 pulchriorē te vidi. Illa subjunxit: Sufficeret tibi, si me  
 posses habere vxorē? Qui cū respōderet? Cuilibet re-  
 gi bene sufficeret species tua, & beatus iudicaretur



cuo confortio, subiecit illa: Ego ero vxor tua: accede ad me, & da mihi osculum. Et coëgit eum, dixitque: Modò iniuriata sunt nuptiæ, & in tali die coram hinc meo perficientur. Ex quo verbo cognouit eam esse matrem Domini, cuius castitas humanæ congaudet integritati. Apprehendensque strepam equi eius, vt ascenderet præcepit, cuius auctoritate miles pressus, obediuit. Ab illa hora tam plenè a tentatione prædicta liberatus est, vt etiam vxor domini sui miraretur. Hoc cum heremita recitasset per ordinem, ille genitricis Dei pietatem simul & humilitatem admiratus, respondit: Ego interesse volo diei nuptiarum tuarum, interim de rebus tuis disponas. Quod cum fecisset, & heremita venisset ad diem præfixum, dixit iuueni: Sentis aliquid doloris? Respondente illo, non: cum secundò post horam id ipsum ab eo sciscitaretur, respondit: Modò sentio. qui post paululum agonizans, spiritum exhalauit, & cœlestem thalamum, promissas nuptias celebraturus, intrauit.

## CAPVT XXXIV.

Iob 41.

**Q**uædam sanctimonialis virgo, à quodam clerico verbis luxuriosis stimulata, in tantum flante Behemoth, cuius anhelitus etiam prunas ardere facit, succensa est, vt corde & ore petitioni eius consentiret, promittens quòd dicto completorio veniret ad locum condictum: erat enim Custos ecclesie. Dicto completorio, cum conuentus ascendisset dormitoriũ, & illa exire vellent de oratorio, in ipso ostio, Christum manibus in cruce expansis stare conspexit. Cui cum egressus non pateret, ad ostiũ quod erat in opposito cucurrit. Ita succensa fuerat in amore clerici, vt penè rationis expers, quid circa se diuinitus ageretur, minus aduerteret. Quid plura? Omnes ianuas adijt, & crucifixu in omnib<sup>9</sup> inuenit. Tũc ad se reuersa, & territa dixit: Fortè volũtas Dei nõ est vt vsquã vadas. Solita fuerat eadẽ virgo singulis diebus specialẽ quandam orationem de passione Domini dicere, quã Dominus in tanto periculo remunerauit visione tam utili. Quæ tremens ante imaginẽ beatæ Dei genitricis se præ-



se prostravit, de peccato suo veniam postulans. A qua cum imago faciem verteret, & illa obnixius supplicatura propius accederet, imago maxillam eius manu percussit, dicens: Quò vis ire farua? vade in dormitorium tuum. Tam fortis erat alapa, vt in terram ruës sic iaceret, vsque ad tempus matutinale: cùque signa in dormitorio sonarent, & illa in oratorio non pulsaret, putantes eam esse in oratione, vel pressam sopore, intrantes, & in multo defectu illam reperientes, postquam refocillata loqui potuit, omnia, quæ circa se gesta sunt, ad honore Dei con sororibus suis recitauit. Licet grauis esset alapa, prorsus tamen à tentatione per illam fuit liberata: durus morbus duram requirit medicinam. APOLLONIVS: Valde accendere debet sexum virilem in amorem Dominæ nostræ, quòd in milite tentationem compefcuit, ipsum deosculando: in feminam, maxillam eius feriendo, cum vtriusque voluntas mala fuerit ac peruersa. CÆSARIUS: Per hoc enim ostendit, quòd sexum nostrum non abhorreat, imò æquè vt femineum diligit. Magis etiam decet, vt domina ancillam peccantem castiget quam seruum. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CÆSARIUS: Referam tibi aliud benignitatis eius indicium, & adhuc isto gloriosius.

## CAPVT XXXV.

**I**N monasterio quodam sanctimonialium, cuius nomen ignoro, ante nò multos annos virgo quæda degebat nomine Beatrix. Erat corpore speciosa, mente deuota, & in obsequio Dei genitricis feruentissima. Quotiens illi speciales orationes, siue venias, secretius offerre potuit, pro maximis delicijs reputauit: facta verò custos, hæc egit tanto deuotius, quanto liberius. Quam clericus quidam videns, & concupiscens, procari cœpit. Illa verba luxuriæ spernente, isto importunius instante, serpens antiquus tam vehementer pectus eius succendit, vt flammam amoris ferre non posset. Accedens verò ad altare beatæ virginis patronæ oratorij, sic ait: Domina, quanto deuotius potui seruiui tibi, ecce clauis tuas tibi resig-



no, tentationes carnis sustinere diutius non valens, positusque super altare clauibus, clam secuta est clericum: quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos abiecit. Illa, cum non haberet unde viveret, & ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix. In quo vitio cum publice quindecim annos transigisset, die quadam in habitu seculari ad portam venit monasterij: quæ cum dixisset portario, nosse Beatricem quandoque huius oratorij custodem, respondit: Optime noui: est enim proba ac S. domina, & sine quarela ab infantia usque ad hanc diem in hoc monasterio conuersata. Illa verba hominis notans, sed non intelligens, dum abire vellet, mater misericordiae in effigie nota, ei apparens, ait: Ego per quindecim annos absentiae tuae, officium tuum supplui: reuertere nunc in locum tuum, & poenitentiam age, quia nullis hominum nouit excessum tuum. In forma siquidem & habitu illius, Dei genitrix vices egerat custodiae. Quæ mox ingressa, quam diu vixit, gratias egit, per confessionem circa se gesta manifestans. Quod pusillanimes per eam confortentur, subsequens ostendit exemplum.

## CAPVT XXXVI.

*Confortat pusillanimes.*

**M**iles quidam iuuenis ac delicatus in Hemmenrode ante paucos annos est conuersus, vocabulo Henricus. Factus monachus, cum die quadam a quodam commilitone suo requiretur, quomodo ei ordo placeret, & quomodo haberet, respondit: Optime mihi placet ordo, & bene habeo, sed per tempus valde male habui. Interrogatus de causa, quia hominem dilexit, & adificare voluit, subiunxit: Quando primo conuersus sum, ita graues erant mihi solennes vigiliae, ut quotiescunque oportebat me ire ad matutinas, timore ac tadio illarum tam corpore quam corde tabescere. Nocte quadam defectum passus, cum stare non posse, a Priore de choro sum eductus, & in sede infirmorum positus, Conuerso ad custodiam mihi deputato. Mox in extasi factus, contemplatus sum dominam clarissimam, quam diuersi ordinis personae precedebant

per



perviam, quæ erat inter me & chorum, incedentem: habebat in capite coronam diuersorum colorum, & erat more Iudaico velata. Cùm mihi propinquasset, quasi ex necessitate me tangens, veste percussit, & ecce subito confortatus, ita omnis prædicta tentatio conquieuit, vt ab illa hora deliciae mihi sint ire ad matutinas. Spero quòd Domina nostra fuerit, quæ pusillanimes confortat, ne tentationi succumbant. De his à me requisitus Henricus non negauit. Quòd verò torpentes ad deuotionem excitet, habes exemplum in distinctione quarta capitulo tricesimo de Christiano monacho nostro, què in oratione dormientem tetigit, dicens: Non est hîc dormitandum, sed orandum. APOLLONIVS: Bene recordor huius capituli. CÆSARIVS: Quòd verò pro suis vitijs de ordine eiectioni, beatæ virginis misericordia reuocentur, sequens sermo declarabit.

## CAPVT XXXVII.

**E**odem tempore, quo Daniel monachus in Hemenrode, vir simplex & rectus, vltimam incidit infirmitatem, laborabat in eadem domo hydro-pisi alius quidam monachus, Henricus nomine, ordine sacerdos, non tamen adhuc lecto decumbens, sed ambulare sufficiens, qui ad lectum infirmantis appropians, hæc verba ab eodè Daniel audiuit: Monachus ille multas habet beatæ virginis referre gratias. Audiens hoc Hæricus, miratus est, & inquiri fecit ab eo, quid his verbis notare voluerit. Qui respõdit, eū auxilio Domine nocte fuisse receptū, fuerat nãq; ob excessus quosdã moresq; reprobos idè Hæricus eiectioni de domo; vnde nimium dolens, die noctuq; lacrymis & orationibus insistebat inuocare beatã virginẽ Mariã, vt ipsa ei regressū ad propriã domū donaret. Tẽpore generalis capituli per Abbatẽ suū seniores interpellauit, qui vnanimiter ei cõtradixerūt, eo q̃ incorrigibilis existeret. Quod vbi cõperit, iratus beatæ virginis õne seruitiū, quod ei impendere cõsueuerat, subtraxit. Tandem ductus de hoc pœnitentia, obsequium neglectū resumpsit, & valescens Porcensibus, ad Hemen-

*Eiecti  
propter  
delicta  
per B. I. ir-  
ginem  
reuocantur.*



rode rediit, misericordiam quæsiuit, sed non inuenit. Suasit ei Abbas, qui solus ei erat propitius, vt Archiepiscopum Treuerensem adiret, & eius auxilio atque interuentu ingressum obtineret. Vtrumque factum est: omnia tamen hæc circa illum gesta fuisse per clementiam beatæ Dei genitricis, prædicto Danieli reuelata sunt. Vis nunc nosse quam sincero affectu diligentes se diligat, quantum dilectos honoret, & quam mirificis reuelationibus eosdem glorificet? APOLLONIUS: Talia audire tibi mihi est. CAESARIUS: Quæ dicturus sum, multorum didici fida relatione.

## CAPVT XXXVIII.

*Quantum B. Virgo diligentes se diligat & honorat.*

**I**N Longobardia in quadam domo ordinis nostri, quæ Carixtus dicitur, ante paucos annos monachus quidam extitit nomine Bertramus: iste tam feruenti motu charitatis Dominam nostram sanctam Dei genitricem amabat, vt nõ sine magno cordis cruciatu audire posset, si fortè dubitatiuè quis diceret, vel legeret, de corporali illius assumptione. Cũ iam exgisset in ordine quindecim annos, adhuc iuuenis ætate, in vigilia assumptionis eiusdem gloriosa virginis, rogauit Abbatem, vt sibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicēs, se non posse audire neque sermones Hieronymi in choro, neque sermonem in capitulo, timēs quod prædictum est: erat enim grangiarius. Abbas sanctitatem eius turbare timens, annuit eius petitioni: cumquē venisset iuxta grangiam, angelus Domini mirabili modo illum rapuit, & ad spatium vnius diætæ iuxta paruum quandam ecclesiam, vicinam satis castro fratris sui carnalis, viri nobilis, deponens, disparuit. Equus verò cui insiderat & seruus iuxta grangiam dimissi sunt. Erat autem fluvius, qui sine naue transuadari non potuit, inter castrum & capellam. Qui cū sederet admirans vbinam esset, vel qualiter ad illum locum deuenisset, iuuenis quidam splendidus de ecclesia exiuit, & quia Domina nostra ipsi ocyus ecclesiam ingredi mandaret, voce clara nunciauit. Ingressus ecclesiam, vidit sanctam Dei genitricem Virginem Mariam in corpore glorificato, in sede miri decoris resedentem.



gentem. Sedebant circa illam diuersi ordines Sancto-  
rum, Patriarchæ videlicet, Prophetæ, Apostoli, Mar-  
tyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Coniugati: erat  
autem hora nona. Quem virgo beatissima salutans  
familiariùs, ait: Bertrame, meliores sermonibus Hie-  
ronymi hic audies sermones. Dicta Nona a circumfi-  
dentibus, per interualla dicta sunt & reliqua hora,  
Vesperæ videlicet, Completorium, Matutinæ, Lau-  
des, Prima, Tertia, Sexta, eratque psalmorum siue re-  
liquorum cantuum melodia tam suauissima, & vocû  
tanta concordia, vt sermo nullus exprimere posset.  
Deinde vultum iocundissimum ei exhibens, voce hi-  
lari ac dulci sic ait: Bene scio Bertrame quare nunc e-  
gressus sis de claustro, noueris pro certo, me in vtraq;  
substantia, id est corpore & anima, glorificatam, & die  
quadragesimo a mortuis resuscitatam. APOLLONIVS:  
His verbis concordat visio domina Elizabeth de Sco-  
nauia, in qua legitur sub eisdem verbis Domina nostra  
ei resurrectionem suam reuelasse. CÆSARIVS: Tanto  
amplius fides adhibenda est huic visioni. Mox vt bea-  
ta virgo verba prædicta protulit, conuentus ille cœle-  
stis disparuit, & monachus in loco suæ sessionis se so-  
lum inuenit. Nutu diuino germanus eius, de quo su-  
pra dictum est, adueniens, cùm solum illum ibide re-  
perisset, & quòd ibi solus sederet vel vnde veniret in-  
terrogasset, omnia quæ circa se gesta sunt, ne laicum  
scandalisaret, per ordinem recitauit. Tunc ille: Expecta-  
te hic frater, donec equum vobis adducam. Mira res, fe-  
stinante illo ad castrum, angelus Domini in momen-  
to in locum, de quo tulerat illum, reposuit. Reuersus  
miles, cùm non inuenisset, quæ dimiserat, apostatam siue e-  
iectum illum æstimans, ad monasterium cursum, ad quod  
dicto Cōpletorio veniens, Abbatem vocauit, & vbinam  
frater suus esset requisit. Cui cùm Abbas signaret, vt  
expectaret vsque manè, & ille turbatus responderet:  
Scio quia eiecistis eum, minareturq; monasterio, ru-  
pto silentio respōdit Abbas: Per licentiã meã ad proxi-  
mã grangiã equitauit, non dubito quin ibi sit. Ierunt si-  
mil, & in capella Cōuersorum orantem inuenerunt,



& cognouerunt ex testimonio illorum, quia eadem hora, qua miles cum iuxta castrum reliquerat, eandem grangiam intrauerit. APOLLONIVS: In his quæ dicta sunt, parem hunc iudico virum duobus antiquis prophetis, Ezechieli scilicet & Habacuc, ex quibus vnus mirabiliter vidit quæ agebantur in Ierusalem, alter verò de Iudæa subito translatus est in Babylonem.

*Ezech. 8.*

*Dan. 12.*

CÆSARIVS: Aliquid amplius in isto considero; magis miraculosum videretur corpus glorificatum, siue celestes ordines, oculis corporeis posse videre, quàm in spiritu, qualè visionè se Ezechiel vidisse testatur. APOLLONIVS: Consentio. CÆSARIVS: Maiorem iudico visionem quæ sequitur. Die quadam angelus Domini ex parte Abbatis signum ei fecit, vt ad portam veniret, secutus est ille præcedentem, & cum ad portam non inuenisset Abbatem, eodem signo angelus eum traxit in campum; qui cum miraretur, quonam esset iturus, & ille signis ex parte Abbatis sequenti nimis esset importunus, venerunt ad quosdam montes sublimes, quibus transmissis, locum ingressi sunt amoenissimum, arboribus & diuersi generis floribus nimis deliciosum: erat enim paradysus terrestris. Inter cætera, quæ ibidem vidit, duos senes splendidos, Enoch videlicet & Heliam, conspexit & agnouit, tenebantque in manibus librum maximum, litteris aureis scriptum, vno tantum folio vacuo. Et dixit ei angelus Domini: Iste est liber prædestinationis, continens omnia nomina electorum, qui ab initio mundi vsq; ad diem hanc nati sunt: cum autem folium, quod vacuum cernis, perfectum fuerit, mundus consummabitur. Et ostendit ei nomen suum, quod cum legisset lætus, adjecit: Nunquam delebitur nomen tuum de libro hoc. Iste est liber de quo David dicit in Psal-

*Psal. 138* mo: Et in libro tuo omnes scribentur, & Dominus

*Luca 10.* in Euangelio: Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælo. APOLLONIVS: Si in illo libro soli electi scribuntur, quid est quod idem

*Psal. 68.* Propheta de reprobis dicit: Deleantur de libro viuentium? CÆSARIVS: Psalmista hinc loquitur secundum

dum



dum spem illorum, qui de sua præsumentes iusticia, putant se ibi esse scriptos. Quod autem nullus reprobatorum in eo scribatur, mox ostendit, cum subiungit: Et cum iustis non scribantur. APOLLONIUS: Placeat quod dicis, sed rogo, ut si aliquid adhuc nosti de hoc beato viro, dicere mihi non differas. CAESARIUS: Tempore quodam cum esset in oratione, beatam genitricem Dei ex opposito sui supra cespitem videntem stare conspexit. Et ecce, fons aurei coloris & regione cum impetu erumpens, riuulum suum ad pedes eius dirigebat: cuius lapilli lapides erant pretiosi, smaragdi videlicet, carbunculi, topazij, saphiri, hyacinthi. Cumque de visione miraretur, ait illi Domina nostra: Nosti Bertrame quid ista significant? Dicente illo: Non Domina, respondit: Fons iste aurei coloris, ordo Cisterciensis est, qui sicut aurum reliqua metalla, ita ceteros ordines tam dignitate quam sanctitate præcellit: illis iam ex magna parte fluentibus à me, iste speciali quadam prærogatiua dilectionis non cessat fluere ad me: lapilli pretiosi, quos vides riuulo, speciales amici mei sunt in ordine, & in obsequio meo plus ceteris feruentiores. Sicque disparuit visio in oculis eius. Omnia hæc recitata sunt Abbatibus tempore capituli generalis. Multa alia vir iste beatus vidit & egit, digna relatu, quæ mihi non sunt recitata. APOLLONIUS: Miror si aliquas vir tam sanctus habuerit in ordine tentationes. CAESARIUS: In principio conuersionis suæ, ut audiui, de cibis regularibus plurimum tentabatur, sicut vir nobilis & delicatus: hoc cum dixisset Abbati, intelligens ille ex munditia conscientie eius, Spiritum sanctum esse in eo, respondit: Roga Deum quod vis, & non negabit tibi. Orauit ille, & exauditus est: ab illo tempore in tantum delectabatur cibis regularibus, ut de licentia maioris abstinence Abbati foret importunus. APOLL. Beati sunt claustrales, qui ad tantam familiaritatem Dei genitricis admittuntur. CÆS. Non solum claustrales, imò etiã & personas seculares se diligentes, mater pulchre dilectionis diligit & honorat, ex quibus occurrit beate memoriæ Walterus

Eccli. 4

de



de Birbach, cuius supra in diuersis locis memini, quæ non solum inferioris ordinis homines, sed & Reges, & Principes, nobilesque venerabantur, audientes beneficia a matre misericordie illi concessa. APOLLONIVS: Cuius fuerit professionis vir iste ex superioribus noui, sed quis fuerit, vel qualem duxerit vitam ante conuersionem, siue conuersus in ordine, scire defidero. CÆSARIUS: Quicquid de illius actibus memoria dignum noui, fida tibi pandam relatione.

## CAPVT XXXIX.

*Vita  
Walteri  
de Bir-  
bach.*

**I**gitur Walterus, de Birbach villa oriundus extitit, vir diues ac potens, & nobilis valde, confanguineus Henrici ducis Louanij. Qui cum esset militiae saeculari adhuc aetate florens deditus, & in ea strenuus satis atque nominatus, Dominam nostram sanctam Dei genitricem semperque virginem Mariam ab ipsa pueritia cepit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, elemosynis, & missarum celebrationibus honorare: licet enim corpore deditus esset, ut dictum est, torneamentis; corde tamen totus erat in obsequio beatae Virginis. Tempore quodam, cum properaret ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, venissetque ad ecclesiam quandam, illos ut missam audire vellent hortabatur; quod cum recusarent, moram tantam sibi periculosam esse praecedentes, illis recedentibus ipse mansit, missam de sancta Maria sibi cantari fecit, & obtulit, sicque socios infecutus est. Cui cum aliqui de torneamento occurrerent, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit: Estne adhuc inceptum? Dicentibus illis, etiam, respondit, Quis fortius ibi agit? dominus Walterus, inquit, de Birbach, ipse in ore omnium est, omnibus praefertur, & ab omnibus laudatur: aliis vero occurrentibus, & similia dicentibus, stupens admirabatur, quidnam hoc portenderet. Actum est ineffabili pietate beatae Virginis, ut militem deuotum in obsequio suo tardantem, interim torneamento honoraret, eiusque absentiam mirabili quadam virtute suppleret. Veniens tamen ad locum, armauit se,



& intrauit, sed nihil magni illic egit. Ludo verò ex-  
 plero, quidam ex militibus hospitium eius intraue-  
 runt, & vt secum miriùs agere dignaretur deprecab-  
 antur: quibus cùm diceret: *Qua* est causa petiti-  
 onis vestre? Responderunt: *Hodie* cepistis nos, & ro-  
 gamus vt bene nos tractetis: *VValtero* negante, ac  
 dicente, *Ego* vos non cepi: responderunt: *In* rei ve-  
 ritate nos hodie dexteris vobis dedimus, nos signa ve-  
 stra militaria ibi vidimus, nos vocem vestram ibi au-  
 diuimus. Et cognouit statim hoc actum fuisse gratia  
 beatæ virginis, quam honoraterat in missa. **A P O L-  
 LO N I V S:** Cùm sit mortale peccatum, ire & exerce-  
 re torneamenta, quomodo beatæ Virgini placere po-  
 tuerunt oratio & oblatio *VValteri*? **CÆSARIUS:** Duo  
 ibi committuntur peccata mortalia, superbia scilicet  
 & inobedientia: superbia, quia fit intuitu laudis hu-  
 manæ: & inobedientia, quia fit contra prohibiti-  
 onem ecclesiæ, vnde in torneamentis occisi extra cæ-  
 miteria fidelium sepeliuntur. Cùm autem obsequium  
 prædictæ missæ *VValtero* potuisset esse meritorium  
 vitæ æternæ, si factum fuisset in charitate, nunc  
 transiit in mercèdem temporalem: opera enim bo-  
 na, id est de genere bonorum, temporalibus remu-  
 nerantur: Homo etiam per illa, vt quidam ex scri-  
 pturis probant,abilem se reddit ad gratiam susci-  
 piendam. Hoc verum esse, sequens probat exemplum.  
 Cùm alio quodam tempore nundinas illas execra-  
 biles quæreret, & inter multos stans missam audiret:  
 sacerdos vt in canone calicem leuauit, crucem au-  
 ream sub eius pedè conspexit, cui annexa fuit char-  
 tula hæc continens verba: *Crucem* hanc defer ex  
 parte mea, *Mariæ* scilicet matris **CHRISTI**, a-  
 mico meo *VValtero* militi prope *Birbach*, quam cùm  
 sacerdos legisset, post completionem missæ, pulpi-  
 tum ascendit & clamauit: *Est* ne aliquis hic miles,  
 qui voceretur *VValterus* de *Birbach*? Respondentibus  
 quibusdam, ecce iste est: Sacerdos eum seorsum duxit,  
 crucem porrexit, & vbi illam inuenerit vel quis mise-  
 rit intimauit, quam lætus suscipiens, in *Hemmenro-*  
 de



de conuersus, eam Abbati resignauit. Postea Comitissa Hollandiæ, missis honestis nuntijs, eandem crucem sibi dari petiuit, & tali modo obtinuit: Cùm conuentus nuncijs respóderet, non possumus eam dare, nisi sit voluntas fratris Walteri, sperantes quòd non auerret, requisitus de hoc respondit: Ego nihil proprietatis habeo, penes Abbatem est: sicque dolentes illam miserunt. Cuius aurum tanti fulgoris est, ut omne aurum in eius palleseat comparatione: quam Comitissa inter reliquias suas reposuit, ea uti non audes. Considerans, Walterus adhuc in seculo positus, tanta circa se beata Dei genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, ut in quadam paupere ecclesia, in eius honore dedicata, conscio sacerdote, fene collo suo injecto, seruum glebæ se illi super altare offerret, soluens singulis annis censum de capite suo, qualem serui originarij soluere consueuerunt. Et quia propter honorem reginæ cœlestis se tam valde humiliavit, ipsa suum dilectum etiam glorificauit. Solitus erat in vigiliis omnium solennitatum beate Virginis ieiunare in pane & aqua, & saepe etiam in sextis feriis, ob reuerentiam sabbati: die quadam seruus ieiunanti vas paruulum fictile cum aqua obtulit, quam in eius manibus diuina virtus in vinum optimum conuertit: qui cùm gustasset aquam vinum factum, seruum secretè vocauit & arguit, dicens sibi vinum pro aqua ministratum: quod cùm ille negasset, asserens se hausisse aquam de sirula, vas recepit, & effudit, sicque aqua purissima impleta, ut securus esset, prægultauit, & obtulit; de quodum gustasset, sicut prius, vinum inuenit, & mox seruo iratus sic ait: Ut quid mihi illudis, en secundo vinum pro aqua afferendo? Ad quod verbum stupens seruus, cum iuramentis maximis negauit. Tunc primùm intelligens ex multa misericordia Dei genitricis hoc miraculum circa se gestum, eundem seruum adiurauit, ne illud vnquam alicui homini, quoad viueret, manifestaret: ex quo colligitur, quòd non cupidus erat inanis gloriæ. Seruus verò, tanti particeps



viceps miraculi, frater est Arnoldus, qui cum eo venit  
 ad ordinem, vir sanctus, & multum ordinatus, & in  
 monte Stromberg sepultus. Antequam moreretur,  
 idem miraculum ad Dei gloriam publicauit, timens  
 de thesauro occultato post mortem reddere rationē.  
 Audiens sæpe dictus Walterus ordinem Cisterciē-  
 sem beatæ Virgini dedicatum, omnia quæ sunt huius  
 mundi, diuitias videlicet, honores, & amicos, ob illius  
 amorem reliquit, & in Claustro, quod alio nomine  
 Hemmenrode dicitur, cuius fama tunc temporis, sic-  
 ut & hodie, clarissima fuit, habitum regularem susce-  
 pit: in quo cœnobio quàm humiliter sit conuersus,  
 quàm feruens fuerit & obediens, & in obsequio beatę  
 Virginis deuotus, testes sunt omnes monachi eiusdē  
 monasterij. Psalterium verò, hymnos, cantica, & alias  
 de domina nostra orationes plurimas, in probatione  
 didicerat, quæ omnia studiosissimè frequetauit: Mis-  
 sa quotidianæ Dominae nostræ semper interesse  
 voluit, quicquid penè loquebatur, ædificatorium  
 fuit. Quia non solùm verbis & aspectu, imò e-  
 tiam odore famæ eius multi ædificabantur, magister  
 hospitem creatus est. Tempore quodam ductus est  
 ad monasterium spe curationis quidam obsessus, & in  
 hospitio receptus: erat enim rusticus diues satis ac  
 notus, qui cum nullo remedio posset sanari, non  
 reliquis Sanctorum, non orationibus monacho-  
 rum, sæpe dictus Walterus autoritate officij fre-  
 quenter eum visitans, orationes & rhithmos, quos  
 habebat de Domina nostra conscriptos, super caput  
 hominis legit, sacras picturas ostendit, per quæ om-  
 nia dæmonem vt exiret adiurauit. Die quadam cum  
 psalterium super obsessi caput posuisset, obsidens  
 clamans & furens, in tantum hominem, à quo exi-  
 re cogebatur, turbauit & allisit, vt cadens in ter-  
 ram mortuus diceretur: post horam ad se reuersus,  
 surrexit, à diabolo se liberatum clamitans: Conuersus  
 verò, qui curationi huic interfuit, & rusticum furen-  
 tē seruauit, ista mihi recitauit. Vadēs ille sanus in do-  
 mum suam, post aliquantulū temporis rediit, gratias  
 agens



agens beatæ Virgini, eiusque seruo suo curatori, hoc  
 verbum audiente conuentu adjiciens: Si nihil esset  
 plus reliquiarum in monasterio isto præter hunc san-  
 ctum virum, cuius meritis curatus sum, toti loco suf-  
 ficere deberet. APOLLONIVS: Magna sunt quæ dicis.  
 CÆSARIVS: Nō salūm dæmones, sed & bruta anima-  
 lia illius sanctitati obediebant. Erat monasterio po-  
 ledrus pulcherrimus, & tanti valoris, vt tam episco-  
 pus Treuerensis, quam Dux Lotharingiæ quadragin-  
 ta, vt puto, marcas argenti offerret pro illo: Species  
 enim optimi dextrarij in eodem erat poledro. Timēs  
 conuentus alterum offendere si vni venderetur, per  
 dominum Walterum, duobus adhibitis Conuersis,  
 eundem equum comiti Hollandiæ gratis transmitit.  
 Venientibus eis in quendam saltum, poledrus equa-  
 ritiam, id est gregem equarum, de longè pascere con-  
 spexit, qui statim hinniens atque lasciuens, ex ducē-  
 tium manibus se excussit, & cursu velocissimo ad  
 quaritiam properauit: quem cū Conuersi insequerentur,  
 equaritia fugiente, magis poledrus ab eis  
 longabatur: quibus frustrato labore reuersis, ait Wal-  
 terus: Procedamus, equus iste perditus est, nisi S. Maria  
 illum nobis reducat: vix ad duo miliaria processerant,  
 & ecce poledrus velociter recurrens, qui nondum sa-  
 tis domitus fuit, velut ouis mansueta ductorum suo-  
 rum manibus colla subiecit. Quia notus erat nobi-  
 libus terræ, & ab eis, tum propter sanguinis nobilita-  
 tem, tum propter vitæ sanctitatem venerabatur, sæpe  
 pro monasterij necessitatibus, contra voluntatem  
 suam, emittebatur. Tempore quodam descendens cū  
 naue domus, qui vinū portabat, cū in Zelandiā ve-  
 nisset: orta tepeestas maxima omnes terruit, & naue  
 inclinavit. Accessit periculū periculo: prædones ad  
 eos remigates, nauim depreḡdari conati sūt: & ecce,  
 iusto Dei iudicio, duo vasa, vi ventorū eiecta, nauicu-  
 la subuerterūt, ipsosq; prædones in profundū dimerse-  
 rūt. Acta sūt hæc in vigilia sancti Nicolai post mediā  
 noctē: singuli vitę suę timētes, Deo supplicabāt, ipse  
 verò vir beatus de grugustio nauis egredies, seruo suo  
 deor-



sum ducto, cōfessionem fecit, & intrauit: deinde imagine sanctæ Dei genitricis eburnea, quam semper penes se habebat, coram se posita, ante illam se prostravit, & orauit, atque in illa oratione leuiter obdormiuit. Statimque visum est ei, quod Dominum Arnoldū in Claustro, virum sanctum & probatæ vitæ, tempore psalmodiæ citharizare audiret, sicque ex ipsa dulcedine vocis expergefactus est: erat enim tempus matutinarum. Intelligens protinus quod vir justus eadem hora pro ipsis oraret, lætus exiuit, omnesque cōsolans his verbis ait: Nolite timere, nullum nobis periculum nocere poterit, dominum Arnoldum de sancto Seuerino monachum nostrum audiui citharizantem. Mox virtute diuina, & meritis beatæ Virginis, quam inuocauerat, & iam dicti Arnoldi, tēpestas sedata est. Hæc cum relata fuissent domino Hermanno Priori, nunc Abbati loci sanctæ Marię, statim dominum Arnoldū, horum prorsus inscium, vocauit, & quid in nocte sancti Nicolai infra matutinas cogitauerit, vel quid ibi egerit, interrogauit. Cui ille respondit: Credite mihi ego citharizauit ibi. Quali modo, inquit? Et ille: Quando non possum habere deuotionem, sub cuculla digitos, ad similitudinem citharizantis moueo, & chordas cordis tango, sicque mētis torporem ad deuotionem excito. Et miratus est Prior nimis, audiens hæc. Quia vir literatus est, puto exemplo Elisæi hoc eum

4. Reg. 3.

Ee

cum



cum illo, in partem me traxit, & ait: Et ego magnas carnis meae patior tentationes: ut alijs posset mederi, proprias infirmitates illis non erubuit confiteri. Requisitus die quadam a praedicto Priore, sicut ipse mihi retulit, quid in mensa cogitaret, eo quod non intelligeret lectionem, respondit: Ego habeo ibi lectionem meam; quando manducare incipio, retracto mente, qualiter pro me Dei filius sit ab Angelo nunciatus, & in utero virginis de Spiritu sancto conceptus, sicque primum folium verto: deinde cogito, quomodo Angelis concinentibus sit natus, & pannis vilibus involutus, in praesepe reclinatus; & ecce perlectum est folium secundum: In hunc modum transeuro circumcisionem, aduentum Magorum, oblationem eius in templo, baptismum, ieiunium, passionem & resurrectionem, ascensionem, & Sancti Spiritus aduentum, extremumque iudicium: talis est lectio mea quotidiana, cuius finis, finis est prandij. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lacrymae, quas in mensa fudit; plus enim delectabatur in sanctis meditationibus, quam in genu flexionibus, per quas spiritus contemplantis impeditur. Non multas, ut dixi in oratione venias petiuit, sed stans, vel supra genua jacens, erecto vultu caelos respicere consuevit. Antequam Deus eum vocaret de hoc mundo, cuidam monacho mirifica quadam visio relata est de illo. Existente eo Wilre, quae domus est ordinis Cisterciensis, cum Abbate suo domino Eustachio, cum dies esset dominica, totum conventum idem Abbas post coenam convocari fecit: quod cum factum fuisset, & ipse diceret: Suntne fratres nostri hic omnes? responsum est ei: Omnes domine, exceptis duobus iuuenibus, qui de Francia hospites huc missi sunt, qui studiosi sunt valde circa silentium, maxime diebus, quibus communicant. Secundum vero ex parte eius vocati, cum venissent, & eis Abbas moram improperaret, humiliter se excusantes, confederunt. Sequenti die conuictus a labore rediens, & ante portam, facto primo signo nonae, secundum expectans, senior ex eis cum stans super fossorium suum se reclinarer, &

nonam



nonam de Domina nostra diceret, sic stando leuiter obdormiuit; Et ecce ipsam Dei genitricem, diuersorū ordinum personis stipatam, in mira claritate inter se & portam transire cōspexit: a qua cū minimè, quasi ignotus, respiceretur, neque vocaretur, tristis ait intra se: Hei mihi misero, quare me non vocat? Quæ cū paululum processisset, miserta illius, monachum familiaris sibi adhærentem remisit, dicēs; Voca monachum illū: quem cū reuersus vocaret, & diceret: Veni Domina nostra vocat te, præ gaudio expergefactus est, intrans, & dominum Walterum considerans, dicebat intra se: Simillimus est monachus iste monacho, per quē hodie Domina nostra in somnis vocauit me, nisi quōd cuculla illius grisea, huius autem alba est, & recitauit visionem socio suo. Sequenti die, cū dominus Abbas & Walterus essent recessuri, & ab eis prædicti iuuenes ad portam vocati, Walterusque in sua grisea cuculla stare, alba, quæ sibi fuerat accommodata, deposita, ait monach<sup>o</sup> socio: Reuera, iste est monachus qui vocauit me, vestem cognosco, de persona non dubito. Post dies paucos idem VValterus cœpit infirmari, qui fide & charitate plenus, confessus atque contritus, beata Dei genitrice se vocante, de tenebris transiuit ad lucem, de fide ad speciem, de labore ad requiem, de merito ad præmium, de mundo ad patriam. Ad quam nos perducatur Dei filius Dominus noster IESVS CHRISTVS ex Maria Virgine natus, qui est via in exemplo, veritas in promissio, vita in præmio, Amen. Monachus verò Vilariensis & ipse vocatus, sicut fuerat ei præostensum, interpositis paucis diebus migravit ad Dominum. Hæc mihi relata sunt a prædicto Abbate Eustachio. Vt autem ostenderet Dominus, quanti apud ipsum esset meriti matris suæ dilectus, signis post mortem ipsum glorificauit. Eodem tempore VVinemarus de Aldendorp, miles diues & honestus, lecto totus paralyticus decubuit, audiens hominem Dei vnice sibi dilectum ad Dominum migrasse, mox nuntium ad Claustrum misit, per quē sibi defuncti coturnos transmitti supplicauit; missi sunt



ei noui, & mox remissi, eo quod intellexisset eos de-  
mini Walteri non fuisse. Mox per eundem nuntium  
boti viri Dei satis veteres mittuntur, quos infirmus  
cum fide ac deuotione suscipiens, statim ut manus  
præmortuas imposuit, beneficium ex eis sensit; simile  
actum est in pedibus; ab illa enim hora cœpit manus  
leuare, & pedes erigere: & totius corporis vires, sensim  
tamen, recipere. Eadem verò calceameta, ob amorem  
beati viri, & concessum sibi per illa beneficium, in tā-  
tum venerabatur, ut in castro suo capellā ædificaret,  
atque eosdem coturnos eius altari ligneo, Abbate no-  
stro præsentem includeret. Alius quidem miles pericu-  
losum habens apostema in pectore, audiens per præ-  
dictos calceos tantam in Winemaro virtutem factam,  
vnum sibi transmitti petiuit, per quem, mox ut vlcera  
locum tetigit, plenè conualuit. APOLLONIVS: Satis  
mihi iam fateor probatum, quod beata Maria dilige-  
tes se diligit & honoret. CAESARIUS: Non solum suos  
dilectores ac dilectos ad vitam dirigit æternam, imò  
frequenter illos etiam ad honores prouehit tempo-  
rales.

## CAPVT XL.

*B. Virgo  
sape etiā  
ad hono-  
res tem-  
porales  
cultores  
suos pro-  
mouet.*

**P**ost mortem Abbatis nostri Geuardi, huius præ-  
decessoris, qui hodie abbatizat, fuit apud nos sa-  
cerdos quidam ætatis decrepitæ Sifridus nomi-  
ne, spiritum aliquando, ut nobis videbatur, habens  
prophetiæ: hic multis diebus ante celebrationem ele-  
ctionis, quibusdam secretè prædixerat, quod dominus  
Henricus, tunc Prior, Abbas esset futurus, & in eccle-  
sia Treuerensi in Abbatem consecrandus. Requisitus  
vnde hoc sciret, respondit: Dominam nostram vidi  
ante presbyterium eiusdem ecclesiæ, videlicet beati  
Petri, virgam ei porrigere pastorem. Modum tamen  
visionis, nemini dicere voluit. Quid plura? Tam con-  
corditer in Abbatem electus est, ut Visitator mirare-  
tur, dicens tam vnanimem electionem non posse esse  
nisi a Deo; & quia tunc temporis ordines Colonie fieri  
non poterant, propter captiuitatem Episcopi Bru-  
nonis, licentiatum est ei a Prioribus, ordinationem  
suam



suam recipere ab Archiepiscopo Treuerensi Ioanne. Diuulgatum nobis fuerat, quia ordines solennes celebraturus esset apud Confluentiam, sicut & fecit: assumptis secum electus noster quibusdam monachis, qui erant ordinandi, profectus est illuc; & dixi ego in corde meo: Bonus iste homo ab aliquo spiritu erroris in parte deceptus est. Et quia ea, quæ diuinitus ordinata sunt, mutari non possunt, cum Dominus Archiepiscopus clericos ordinasset, & valde fatigatus esset, ait Abbati: Domine Abba, multum sum lassus, in die Palmarum veniaris ad me Treuerim, & libenter ibi vos consecrabo; quod & fecit. Et miratus sum valde, nihil deinceps dubitans de veritate visionis. APOLLONIVS: Quid si malè se habuerint in prælaturis sic a beata Virgine promoti? CÆSARIVS: Sicut ab ea misericorditer exaltantur, ita dictante eius iustitia nonnunquam humiliantur, & hoc fortè ad bonum suum. APOLLONIVS: De hoc mihi dicas exemplum. CÆSARIVS: Exemplum non longè quæram.

## CAPVT XLI.

**M**ortuo prædicto Brunone, & post occisionem Philippi, Ottone iam in regno confirmato, de successore in Ecclesia Colonien-  
satis tractabatur; Hermannus Decanus Bonnensis, qui vir est, vt nosti, valde literatus, cum Deum eiusq; genitricem, sicut ipse mihi rerulit, toto cordis affectu deprecaretur, quatenus tantæ Ecclesiæ dignus præficeretur, nocte in visu eadem Virgo beata ei apparens, & librum aureis litteris scriptum porrigens, ait: Defer librum istum Episcopo. Nihil aliud in libro continebatur, nisi Angelicæ salutationes, id est, Aue Maria, gratia plena. Per librum intellexit Episcopatum, quæ cum ferre vellet Ioanni Episcopo Cameracensi, eo quod tam Rex quàm ipsi illi fauerent, probitatem illius cognoscentes, reuocauit eum beata virgo, dicens: Non Ioanni, sed Theodorico sanctorum Apostolorum Præposito deferas illum. Quod si in Episcopatu non se bene habuerit, sicut per me illum adeptus est, ita

*Promo-  
tos malè  
se gerentes  
eadem B.  
Virgo hu-  
milis.*

E c 3

per



\*al. tibi.

per me illo priuabitur. Semper in eius obsequio idem Theodoricus deuotus fuerat, & sicut \* mihi notū est, quotidie missā eius quotidianā vult interesse, nummum offerens singulis diebus. Tempore electionis, cum Rex pro Episcopo Cameracensi intercederet, eique ab electoribus responderetur, quōd idioma terre ignoraret, cessauit. Hoc ipsum prädixerat prāfatus Hermannus. Tunc electores, personis quatuor vota sua commiserunt, a quibus Theodoricus in Antistitem electus: qui post dies paucos, a malis consiliarijs in tantum deprauatus est, vt modicam haberet differentiam inter personas laicas & ecclesiasticas, inter rusticos & monachos. Æquē ab his, vt ab alijs telonia recipiens, indebitis exactionibus utrosque grauens. His alijsque actibus malis Dei genitrix irritata, egit, sicut ex superiori visione colligitur, vt indignē satis a Moguntino deponeretur, Episcopo æmulo eius per electionem substituto. APOLLONIVS: Quōd durus fuerit ordini nostro in episcopatu, satis intellexi. CASARIVS: Idcirco meritō ab illa dejectus est, quā ordinis est aduocata. Tanta illi cura est de ordine, vt etiam eos, qui detrahunt illi, sine correptione non transeat, verbi gratia.

## CAPVT XLII.

*Detrahē  
tes ordi-  
ni Cister-  
censi cor-  
ripit.*

Colonia scholaris est penē quatuordecim annorum, cuiusdam ciuis filius, & ecclesie sancte Marię in Capitolio Canonicus; iste miro modo ordinem nostrum diligebat. Hoc anno, cum naues ordinis per Zelandiam timore prædonum transire nō auderent, rumor venit Coloniam, quōd omnes essent deprædata: & dixerunt quidam: Iustē actum est cum eis, monachi auari sunt, mercatores sunt, Deus illorum auaritiam sustinere non potest. Huiusmodi verbis prædictus puer in tantum iratus est, vt odio aduersus ordinem concepto, religioni detraheret, nec æquo oculo monachum siue Conuersum respicere posset. Nocte quadā in somnis ante imaginem Dei genitricis sibi stare videbatur, quem cum illa seuerius intueretur, & puer tremere, faciem ab eo auerit, sic dicens:



dicens: Male puer, optimis amicis meis, quos habeo in toto mūdo, maledicis & detrahis. Quod verbū ille bene intelligens, & ex terrore euigilans, amorē extinctum, gratia beatae Virginis in eius corde reaccendit. Quod autem Virgo pijsima spernētes se quandoque puniat & humiliet, exemplis duobus tibi ostendam. Alia me memini tibi dixisse superius de inuasoribus possessionum loci sanctae Mariae, quos humiliavit, & adhuc humiliare non desinit.

## CAPVT XLIII.

**A**NNO præterito duo milites germani, ministeriales Palatini Comitis Rheni, ex quibus vnus Sybodo alter Baldemarus vocabatur, multis secum assumptis, armata manu venerunt in villam Cussule, forum rerum venalium; in odium Walrami Comitis de Lutzellenburg spoliantes, & multa pecora aliaque diuersi generis spolia secum deducētes. Erat autem in eadem die triplex solennitas, dies videlicet Dominicus, Natiuitas S. Dei genitricis, & dedicatio Ecclesiae eiusdem villae. Nocte præcedenti, cuidā militi ex comitibus Sybodontis talis visio ostensa est: B. Virginem Christi pedibus vidit prouolutā, & voce clara dicentem: Conqueror tibi domine fili de Sybodone, & complicibus eius, qui dedicationem Ecclesiae meae turbauerunt, hominesque ad illam confluentes spoliauerunt, nullum tuae diei, neque meae natiuitati honorem deferentes. Quod enim eadem die futurum sciebat, iam pro facto reputabat. Miles de visione tremefactus, cum Sybodoni eam recitasset, & ille parui pendens recitata, ipsum somniasse diceret, renitentem vt se sequeretur coëgit. Dominus vero virtutum, qui de Chaldaea adduxit Nabuchodonozor, per quem Iudaeorum superbiam humiliavit, Walramum iuuenem, per quem iniuriam vindicaret, aduocauit: nam die eodem circa nonam, inopinatè cum armatis militibus Cussule intrauit; in dimidio enim anno illuc non venerat. Hi, qui bona sua perdididerant, querimoniam de Sybodone facientes, cum Walramus, quò isset, vel vbi esset interrogaret,

*Spernentes se puniit beata Virgo.*

*4. Re. 24.*

E e 4

respon-



responderunt: Domine, ad quatuor miliaria in tali loco securè quiescit. Tunc ille furorè suum dissimulans, ait: Hodie festum sanctæ Mariæ est, bellare nobis non licet; iussit tamen dextrarijs dari pabulum, vt modicum quiescentes, fortiores ad conflictum redderetur. Ante solis occasum cum omnibus suis, equis ascensis, insecuti sunt hostes, & nocte super securos irruens, alios cepit, alios occidit, vixq; aliquis euasit, præter militem, qui prædictam viderat visionem. His ita gestis, dicebat mulier quædam Walramo: Domine, ecce capita prædonum istorum quiescunt in tali loco; recesserant enim modicum à villa in cortem quandam illic dormientes. Mox illuc omnes diuerentes, cum sepes & portam cortis incidèrent, signumque militare Walrami clamarent, & hoc intimaretur Sybodoni, ille territus, cum fugere vellet, surgere non potuit, neque pedem mouere de loco: cui cum Baldemarus diceret: Surge frater, fugiamus, respondit ille: Tu fugias frater, ego enim fugere non valeo, quia super genua mea quasi massam plumbi sentio; ad quod ille: Nec ego fugiam tecum volens manere, sicque ambo capti sunt & occisi, soluentes pœnam sacrilegij in Dei genitricem cõmissi. APOLLONIVS: Satis manifesta fuit vindicta hæc, concordans visioni & pœnæ factæ in Wilhelmum de Helpenstein, sicut dictum est superius in cap. septimo. CÆSARIVS: Non solùm matris iniuriam Christus vindicat in operibus malis, sed etiam in verbis contumeliosis.

## CAPVT XLIII.

*Blasphemans B. Virginem puniatur.*

**L**Egitur in libro miraculorū Clareuallis de duobus lusoribus terribile quid; cum vni malè succederet, fortunæ alterius inuidens, vt furori suo satisfaceret, in Deum euomere cœpit verba contumeliosa: quem socius eodem maligno spiritu afflatus compescens, ait: Sile, tu enim nescis maledicere, statimque Deum nimium blasphemans, cum in matris eius iniuriam erumperet; vox desuper audita est: Meâ iniuriam quocunque modo sustinui, matris autem meæ contumelias nequaquam potero tolerare; moxque super



super ipsam tabulā vulnere visibili percussus spumans  
expirauit. Et quid dicam de verbis cōtumeliosis, cū  
etiam stultiloquia sine felle malitiæ, contra sanctæ  
Dei genitricis imaginem prolata, nouerim in præsen-  
ti acriter satis punita.

## CAPVT XLV.

**I**N capella castri Veldensis, quædam vetus imago *Stultilo-*  
est beatæ Virginis, in sinu tenens filium, non qui- *quā en-*  
dem per opus bene formata, sed multa virtute do- *tra iacē*  
rata: Matrona quædam eiusdem castri, quod situm est *plēnissimè*  
in diœcesi Treuerensi, die quadam in capella stans,  
ipsamque iconam respiciens, & scripturæ indignans,  
ait: Ut quid hîc stat vetus hæc rumbula? Beata verò  
Maria, mater misericordiæ, feminam stultiloquam,  
non vt arbitror apud filium accusans, sed pœnam pro  
culpa futuram, alteri cuidam matronæ dicens, ait:  
Quia domina illa, nomine eam designās, vocauit me  
veterem rumbulam, semper misera erit quoad viuet.  
Post paucos dies, ab omnibus suis bonis mobilibus &  
immobilibus a filio proprio ejecta, miserabiliter satis  
vsque hodie mendicat, pœnam luens stultiloquij. Ec-  
ce sic beata Virgo diligentes se diligit & honorat; cō-  
temnentes se punit & humiliat. APOLLONIVS: Si sa-  
cras imagines contemnentes tantam incurrunt pœ-  
nam, puto quòd venerantes illas, magnam mereantur  
gratiam. CAESARIVS: Hæc in sequentibus plenius  
cognosces.

## CAPVT XLVI.

**I**N prædicto castro, matrona quædam habitat ho-  
nesta ac deuota, nomine Iutta. Hæc est illa, cui  
beata Virgo verba probrosa in suam iconam pro-  
lata, conquesta est: & meritò, summo enim honore  
eandem imaginem veneratur, salutationes, oratio-  
nes, multasque venias coram illa faciens. Tempore  
quodam, cū filiam paruulam in villam proximam  
nutriendam tradidisset, & infantula iam triennis in  
area luderet, lupus ludentem, quibusdam aspicienti-  
bus, illam per gulam rapuit, raptamque in dorsum  
suum mittens, siluas vicinas petiuit: quem aliqui cum

*Venera-*  
*tio sacra*  
*rū ima-*  
*ginū uti-*  
*lis &*  
*Deo gra-*  
*tia est.*

E e 5

cla-



clamore insecuti, sine ereptione puellulæ, tristes sunt reuerſi: ex quibus vnus in castrum cucurrit, & matri, in mensa ſedenti, raptum filia nuncians, ait: Domina, lupus comedit filiam vestram. Cui illa, turbata nimis, respondit: Certè lupus non comedit filiam meam: mox tamen mensa amota surrexit, & in multa cordis amaritudine capellam intrans, imaginem Saluatoris de sinu matris euulſit, stasque contra illam cum multis lacrymis in hæc verba prorupit: Domina, nūquam re habebitis puerū vestrum, nisi mihi incolumem restituatis puerum meum. Mira humilitas Reginae cœli, quasi timeret carere filio suo, si mulier non re haberet filiam, lupo protinus imperauit, & ille puellam dimisit. Insecuti sunt plures de villa lupi vestigia, cum puellæ reliquias ad tumulandum quærerent, iuxta quoddã fruterū illam deãbulantē repererūt; cui cum dicerēt: Vnde venis bona filia? respondit illa: Mūm mordit me, vestigia enim dentium lupi in guttore eius, cuti superficie tenus incisa, apparuerunt, in testimonium tanti miraculi ad hoc reseruata. Tunc filiam ad matrem ducētes, mox vt illam vidit sanam, effecta lætissima, cum gratiarum actione ad imaginem sacram cucurrit, & puerum suum ei restituens, ait: Quia restituisti mihi filiam meam, en tibi restituo filium tuum. Hæc mihi relata sunt a sæpe dicto Hermanno Abbate loci sanctæ Mariæ, qui puellam vidit, & a matris ore, quæ dicta sunt, audiuit. Cum adhuc Prior esset in Hemmenrode, & firmum haberet propositum resignare prioratus officium, prædicta matrona ab Abbate eius, domino Eustachio, quem hospitio receperat, vt sibi eum trāsmitteret petiuit, & obtinuit: quæ ante imaginem Dei genitricis ducēs, ne officium suū resignaret, admonuit: Deo, inquit, non placet, si resignaretis: cui cum ille diceret: Vnde hoc noſtis? respondit illa: Nemo mihi hoc reuelauit, nisi domina ista, digito imaginem ostendens. Multa siquidem eidem deuotæ feminae per sacram illam imaginem reuelatur, plurima per illam beneficia cōsequitur. APOLLONIVS: Nesciui hactenus tantas esse consolationes in ima-



imaginibus sanctorum. CAESARIUS: Multas sancti in suis, & per suas imagines virtutes operantur, maxime in illis locis ubi venerantur: nunquid non recordaris iuuenis apostata iuxta Floressiam, qui per imaginem beatae Virginis consecutus est indulgentiam? Similiter & sanctimonialis, quae ab eius imagine alapa suscepta, periculosam euasit tentationem. APOLLONIVS: Vtriusque bene memini, primi videlicet miraculi in distinct. secunda, cap. 12. & secundi in distinct. presenti cap. 33. & stupor inuadit me, cum in lignis audio vocem ad loquendum, manus ad ferendum, corporis incutuationem, erectionem, sessionem, & reliquos motus vitales. Magis haec admiror, quam loquelam asinae contra Balaam, illa enim animam habebat motabilem; in lignis, lapidibus, siue metallis, nullus spiritus est. CAESARIUS: Diuinus spiritus in creatura est per essentiam, & per potentiam, cui nihil impossibile est, & nihil miraculosum, qui ad honorem sanctorum suorum haec & huiusmodi similia quotidie operatur. De imagine vero beatae Virginis referam tibi quandam visionem mirificam, quae ante hoc triennium facta est.

## CAPVT XLVII.

**I**N introitu Frisiae, iuxta ciuitatem Gruningen, cenobium quoddam sanctimonialium ordinis nostri de nouo constructum est, vocabulo Iesse: quae dicturus sum, a Priore loci eiusdem audiui, & circa idem tempus imaginem ipsam vidi, & missam coram ipsa celebraui: est enim opere angelico deceter exculpta, effigiem representans beatae virginis filium in gremio tenentis. Die quadam, cum custos candelam quae ante illam ardebat, dicta missa extinxisset, & duo carpentarij oratorium, propter opus suum intrantes, illam reaccensam reperissent, dixerunt Priori: Domine, nisi moneatis Custodem, vt cauta sit circa extinctionem huius candelae, oratorium perdetis; omnia enim lignea sunt, altare scilicet, candelabrum, parietes. Vocata est illa & culpata, negauit, & extinxit. Carpentarij denuo ingressi, cum praedictam candelam rursus ardere

ardere



ardere videret, & mox hoc Priori prodidissent, iracundè satis inuectus est in illam: qui certus effectus ex verbis eius de extinctione, iussit ne deinceps extingueret illam, scire volens quid portenderet. Tota illa die & sequenti nocte coram imagine prædicta ardebat candela, & in manè, vix ad longitudinem dimidij articuli manus, fuerat consumpta. In festiuitate beati Andreae Apostoli, cum vnus ex præfatis carpentarijs, vir simplex ac deuotus, modò in eodem cenobio conuersus, ad missas staret, & sacerdos euangelium inciperet, imago Saluatoris, ipso intuente, de sinu matris in quo sedebat, se erigens, coronam de capite eius tulit, eamque suo capiti imposuit; dicto verò Euāgelio, cum ventum fuisset ad illum locum symboli; Et homo factus est, coronam materno capiti restituit, & refedit. Hæc cum simplex ille homo vidisset, & de nouitate visionis expauisset, ait intra se: Melius est vt taceas; si dixeris, non creditur tibi. Cumque in festo sancti Nicolai eadem visionem, eodem modo, quo prius vidisset, diuinam timens offensam incurrere, si taceret, Priori visa per ordinem recitauit: & quia locum repositionis coronæ exprimere non poterat, vtpote laicus, interrogatus de hoc, respondit: Quando nominata fuit Maria. Mox Priori occurrit, quod in festo confessoris, Ecclesia Credo in vnum Deum, dicere nõ consueuerit: vocansque socium suum, ait: Dixistis vos missam in conuentu in die sancti Nicolai? ipse tunc domi non erat: respondente illo: etiam; subjunxit, dixistis, Credo in vnum? Dixi, inquit: & Prior; non rectè fecistis, non enim Apostolus fuit. Ad quod verbum ille respondit: Certè ego sanctum Nicolaum æqualem habeo multis Apostolis, sicque Prior de visione certificatus est. APOLLONIVS: Mysterium huius visionis nosse desidero. CÆSARIVS: Diadema regium videtur hoc loco signare carnem Virginis gloriosam, quam de semine traxit regis, Christus verò coronam maternam capiti proprio imposuit, cum per sacramentum incarnationis carnem de Virgine sumptam, suæ diuinitati vniuit. Vnde ad considerationem tanti mysterij

Spiritus



Spiritus sanctus nos inuitans, dicit in Cantibus Cantorum: Egredimini filia Sion, & videte regem Salomonem, id est, Christum verum pacificum, in diademate, hoc est carne humana, quo coronauit eum mater sua, Virgo Maria in die sponsationis eius, quando Angelo nunciante, in eius utero coelestes celebratae sunt nuptiae inter naturam diuinam & humanam. Per hoc autem, quod ad illa verba: Et homo factus est, coronam materno capiti reposuit, dicere videbatur; Mater, sicut per te particeps factus sum humanae substantiae, sic tu per me particeps facta es naturae diuinae; Christi enim, qui Deus est & homo, corpus sumus & membra. Haec de perfectorum consolatione dicta sint per sacram eius imaginem. Audi nunc aliud genus consolationis de hoc quod in exordio huius distinctionis dictum est, apud ipsam esse electuaria confortatiua.

## CAPVT XLVIII.

**F**Vir in ordine nostro quidam physicus, magis habitu quam actu monachus, occasione medicinae per prouincias discurrens, & vix vnquam, nisi in praecipuis festiuitatibus, ad monasterium reuertens. In quadam sanctae Dei genitricis solennitate, cum nocte staret cum alijs ad psallendum, ipsa Virgo beatissima, multa claritate circumfusa, chorum, ipso vidente, intrauit, psallentes circuiuit, & de pixide, quam in manu portabat, electuarium per cochlear hauriens, singulis in os mittebat; ad ipsum vero veniens, cum pertransiret & diceret, tu de meo electuario non indiges, quia medicus es, & plurimas tibi impendis consolationes, ille tristis transeuntem oculis sequebatur, culpam recognoscens. Ab illo tempore, non nisi per obedientiam coactus de monasterio egredi consensit, & omnes corporales consolationes sibi temperauit. In proxima sua solennitate, Domina nostra praedicto modo famulos suos visitans, postquam ad medicum venit, gradum fixit, & ait: Quia te emendasti, tuis medicamentis mea praefere, ecce de meo electuario, sicut ceteris, tibi impertior: de quo ut gustauit, mox tantum dulcedinis ac deuotionis concepit, ut deinceps

Cant. 3.

B. Virgo  
confortat  
cultores  
suos.

ceps



ceps stabilis in congregatione maneret, & omnia carnis commoda tanquam stercorea reputaret. Electuariū istud gratia deuotionis intelligitur, cuius virtute pfallentes confortantur, cuius dulcedine labor vigiliarum vertitur in delicias: huius species aromaticæ sunt, memoria compunctiua dominicæ conceptionis, natiuitatis, & reliquorum sacramentorum Christi, quæ omnia melliflua spe futuræ retributionis conduntur, & meritis beatæ Virginis pfallentibus infunduntur. *APOLLONIVS*: Placet quod dicis. *CAESARIUS*:

*Cæt. 1. 4*

Quod apud beatam genitricem Dei vnguenta sint sanatiua, testatur sponsus in Canticis, dicens: Meliora sunt vbera tua vino; odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Et in alio loco in persona illius, Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi, &c. Quanta virtutis & gratiæ eadē sint vnguenta, sequens declarabit exemplum.

*Eccli. 24*

CAPVT XLIX.

**C**ontigit ante annos paucos in quodam cenobio sanctimonialium ordinis nostri, satis mihi noto, res valde delectabilis: est ibi quædam foror, & ipsa mihi nota, vitæ probabilis, multumque feruens in obsequio beatæ virginis; hæc cum in genuflexione, nimio impellente feruore, tempore quodam genu vel tibiam vulnerasset, atque meridie in infirmatorio dormiret, visa est in somnis ei astare beata Virgo Maria, pixidem vnguenti portans in manu sua, immisitq; digitis, de eodem vnguento perunxit vulneratam tibiam virginis: statim tanta fragrantia adfuit, vt sorores in proximo dormientes, odore illius excitatæ surgerent, & ad lectum eius venientes, eo q̄ maior sibi sentiretur virtus odoris, dormientem excitarent. Cui cum signassent quis, vel vnde esset odor tantus, illa causa non ignara, immo per eadē signa iā de veritate visionis certior effecta, nihil illis dicere vel signare voluit, tantum inueniens, vt irent dormitum. Quæ cum sursum obdormiuisset, iterum affuit mater Domini, secum illam per visionem ducens in pomarium, cui manum sub mento ponens, dixit:

Modò



Modò dimitte te super genua tua: quod cùm fecisset, Domina nostra subjunxit: De cætero sic modestè & disciplinatè debes petere veniam, instruens illam, & adjecit: Singulis diebus sequentiam, Ave Dei genitrix, mihi ad honorem dicere debes, & ad singulos versus veniam petere; multum enim in ea delector: Sæctimonialis verò euigilās, vt experiretur si esset aliquis in visione effectus, tibiam conspexit, quàm non sine multa admiratione sanatâ inuenit. APOLLONIVS: Quantum ex hac visione conjicio, minùs placet beata Virgini in orationibus feruor indiscretus, & in genu flexionibus motus indisciplinatus. CÆSARIVS: Nō contradico, vt enim de persona beatæ Dei genitricis taceam, nomen eius non tam sententijs, quàm viuus exemplis dulce super mel ostendam.

## CAPVT L.

**I**Vxta ecclesiam sancti Seuerini in Colonia, inclusus quidam habitabat Marsilius nomine, in Tuscìa ad sanctum Sebastianum quandoque Episcopus, & tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum & Paschalem, ab ipso Alexandro depositus: hūc cùm matronæ ciuitatis frequentarent, & vna ei cōfessa fuisset, quòd dominæ nostræ nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine, de causa tantæ gratiæ requisita respondit: Singulis diebus in honore eius quinquaginta Ave Maria, cùm totidem veniis dicere consueui, per quæ tantam dulcedinem merui, vt omnis oris mei saliuā orationis tempore in mel videatur conuersa. Quod cùm audisset iam dictus inclusus, exemplo deuotæ feminae, vix per sex hebdomadas Angelicam salutationem præfato modo & numero compleuerat, & ecce tantam dulcedinem sentire cœpit in illius dulcissimæ salutationis prolatione in ore & gutture, vt mellis dulcedinem longè transcenderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de ordine nostro quidam monachus, exēplo illius prouocatus. Hæc mihi relata sunt ab eodem incluso. Ecce his tribus exēplis satis ostensum est, nomen eius esse super mel dulce, & q̄ hæreditas eius

*B. Mariæ  
nomen  
dulcissi-  
mum es-  
se.*



*Eccli. 24*

fit super mel & fauum. APOLLONIUS: Ut quid appositum est, Hereditas eius super mel & fauum? CÆSARIUS: Repetitio, confirmatio est; quod hereditamus, hoc frequenter in fauo cera est & mel; & cera, quia tenax est, pertinet ad memoriam; mel exprimit dulcedinem: non nisi per iugem memoriam nominis genitricis Dei, præmissa dulcedo poterit adipisci: cera enim illuminat, mel cibatur & inebriat. Nomen Mariæ in compositione odoris factum opus pigmentarij. In

*Eccli. 49*

omni ore quasi mel indulcabitur, & ut musica in conuiuio vini. Vtrumque enim, illuminationem scilicet & refectionem, sancti eius nominis inuocatio operatur, sicut in supradictis ostensum est exemplis. APOLLONIUS: Ex quo tanta bona per nomen beatæ Virginis conferuntur peccatoribus & iustis, de cætero memoriam meam tenacius in hærebit. CÆSARIUS: Hoc si feceris, in fine tuo consolationem eius experieris. Quod verò morientibus assistat, eisq; suam mellifluam præsentiam ostendat, præstò sunt exempla.

## CAPVT LII.

*B. Virgo  
morietibus  
assistit.  
Kal. P  
migrane.*

**I**N domo quadam Hispaniæ ordinis nostri, quæ \* Pumanne vocatur, duo adolescentes sunt conuersi, & tam laudabiliter in ea conuersati, ut vita illorum esset alijs in exemplum: ex quibus vnus in obsequio beatæ Virginis ita feruens exitit ac deuotus, ita in horis eius decantandis morosus & intentus, ut non solum in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis memoriam ipsius haberet, sicque horam horæ cum maximis laboribus penè cõtinuaret. Qui cum annos decem & septem fecisset in ordine, grauius infirmatus est, & ministravit ei socius suus ex licentia Prioris: sciens eum virum sanctum, & in seruitio Dei genitricis deuotissimum, ut aliquid sibi diceret ad adificationem intuitu mutux charitatis flagitauit; cui cum ille nihil negare posset, nec vellet, respõdit: Heri Domina nostra visitauit me, & quia die septimo ad Dominum sum migraturus, prædixit & adjecit. Quia præcunctis mortalibus mihi intentius seruiuisti, & ego tibi faciam quod nondum alicui feci; collumque meum



meū brachijs suis stringēs, dedit mihi osculum. **APOLLONIVS**: Hæc legentibus, oriri potest scrupulus, quia superius dictum est capitulo tricesimo tertio, quod tentato osculum dederit. **CÆSARIVS**: Visio ista, illa tempore præcessit. Cùm autē agonizaret die & hora prædicta vir sanctus, Prior dormiens, cellā in qua iacebat, turbam cādidatorū introire vidit, qui se propter animam illius deducendā aduenisse dicebant. Statimque ad percussionem tabulæ excitatus, surrexit & accurrat, & quia cœlestis esset exercitus, à quibus deuotus genitricis Dei famulus foret deducendus, minimè dubitauit. Hæc dominus Arnoldus Abbas Cisterciensis Treueri positus, multis recitauit, dicens veraciter in domo, in qua prius Abbas fuerat, gestum.

## CAPVT LII.

**I**N Claustro, quod vulgari nomine Hemmenrode dicitur, Conuersus quidam fuit vocabulo Hermānus, nemorali aratro cuiusdam grāgiæ deputatus: erat autem sincerissimæ vitæ, & multas à Domino consolationes secretò percipiebat, ex quibus perpauca ad nostram peruenerunt notitiam. Is in officio suo habebat inter alios boues, iuuenicum ferocem ac superbum, quem ad opus vix ac nullatenus sine magno labore adducebat: hunc ergo cùm vice quadam iugo vellet colligare, & modis omnibus recalcitrantem nequireret compescere, cōmotus animo in siluā diuertit, & fustē ad rebellē taurum feriendū incidit: cui minaciter cum vecte venienti, nescio quo spiritu ductus, taurus occurrit, pedibusque eius prostratus, licet non verbis, gestu tamen humiliati corporis veniam flagitauit. Quo viso vir Dei placatus ait: Misericordiam quæris, misericordiam tibi non denegabo, surge, & caue ne me de cætero inquietes. Ab illa autem die taurus idem omnem deposuit feritatē, aded vt in gratia mansuetudinis nullo coningalium suorū inueniretur inferior. Idem frater alio tempore, cùm diuinis laboribus fatigatus, post completorium pausaturus in suo strato se collocasset, subitò recordat⁹ est quòd ipso die vnā horam, quam decantare solebat



in honore beatæ Virginis, præ instantia occupationis distulerat, & dilatam obliuione intercedente neglexerat, exilijs ergo de strato suo, vt quod neglexerat, vel tunc suppleret: sed eius miserante labores, Domina mundi repente assistit ei; imperas vt quiesceret, & ipsa pro eo horam neglectam supplere deberet. Quando autem Dominus Deus iustam laboribus eius remunerationem reddere decreuit, immisit ei infirmitatem corporis, sed animi gaudium, & consolationem spiritus non subtraxit. Igitur cum per aliquot dies ægrotasset, venit Abbas Gisilbertus, tã eum, quã ceteros infirmos visitare; cui cum diceret: Non erubescis frater Hermanne, quod frater Godefridus erit Prior tuus in regno cœlorum? demonstrato quodam Conuerso ibidem infirmo, qui triennium vix perfecterat in ordine, respondit: Non domine, sed quicquid boni ei Deus facere voluerit, bene cupio ei. Dixit et Abbas: O tu semper rides: facies enim eius naturaliter quasi ad ridendum disposita erat; habe licetiam eundi ad chorum, & ad opus tuum. Respondit: Ego ibo quod Deus voluerit, & quod, inquit, ibis? Respondit, ad regnum cœlorum. Quando ergo, ait, morieris? At ille ait, post biduum: nam & tertia post hanc diem incipiente missa hîc ero, & incipiente Euangelio hîc adhuc ero, sed antequam finiatur, in regno cœlorum ero, & videtur mihi hoc triduum prolixius esse, & amplius me grauat, quàm totum tempus vitæ meæ, quod feci super terram. Vnde, inquit, ista nosti? Respondit ille: Beata Virgo Domina nostra hîc fuit, & consolata est me: sed & ego raptus sum in cœlum, vbi videre merui beatitudinem, quam Deo largiente habiturus sum. Ab illo ergo die, frequentissimè eum Abbas visitauit. Iam aduenerat dies tertia, & instante hora missæ, accessit ad eum felicis memoriæ frater Theodericus de Cellario, minister eius, & dixit: Frater Hermanne, potero ne ego ire ad missam? erant enim dies Quadragesimæ, qui ait: Non, sinite alios ire, vos autem manete mecum, & præparate aquam calidam, vnde lauari debeã, & post paululum sternite mattam;

&amp; ad.



& aduocate duos fratres, qui vos adiuuent, tempus est migrandi. Pulsata igitur tabula, circa principium Euangelij, conuentus occurrit, & ipse Abbas inter primos, sicque sancta illa anima, sicut prädixerat, ante finem Euangelij soluta est. APOLLONIVS: Non miror si iustus desiderauit mortem, quem auctrix vitæ consolata est ante mortem. CAESARIVS: Non solùm præsentia eius infirmis dat fiduciam moriendi, sed etiam morientibus risum excitat, qui est signum magnæ lætitiæ.

## CAPVT LIII.

Conuersus quidam, adolescens ætate, Friso natione, in Lucka, cuius supra memini, grauiter infirmabatur: deductus ad extrema, in ipsa agonia, sicut mihi retulit monachus, qui vidit, & præsens fuit, ridere cœpit; cui cum diceret vnus ex circumstantibus: Paule, hoc ei nomen erat, cur modò rides? respondit: Cur non rideam? ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet. Videtur mihi in isto versiculus poëtæ impletus: Incipe parue puer risu cognoscere matrem. Puer erat virtute idem Conuersus, quia simplex & purus; paruus, quia humilis & mansuetus. Haud dubiū, quin beata Virgo morienti maternos exhibuerit gestus; quia non risum, sed timorem, vultus excitat seuerus.

*Virg. Eneid.  
clog. 4.*

## CAPVT LIIII.

Simile contigit Colonia in Ecclesia sancti Mauritij: cum quædam sanctimonialis bonæ vitæ, in extremis ibidē laboraret, & sorores morientem circumstarent, illa serenata facie subridendo, cunctis audientibus in hæc verba prorupit: Bene veniat dulcissima domina mea, bene veniat: sicq; repressis labijs expirauit. Multum enim illā diligebat, vnde & in hora illa terribili dilectam videre meruit, visam salutare, atque per eam, & cum ea, celestem thalamum intrare. APOLLONIVS: Spero quòd dæmones, qui etiam viris sanctissimis in exitu nimis sunt importuni, in præsentia tantæ maiestatis subsistere nō possunt. CAESARIVS: Hoc tibi ostendere volo per exemplum.



**C**IRCA hoc triennium, monachus quidam Wernerus nomine in Eberbacho defunctus est, ætate quidem adolescens & imberbis, sed mente canus: hic cum ante horam exitus sui, sicut ab eius Abbate didici, dæmones circa se videret, illorum importunitate valde turbatus clamare cœpit: Sancta Maria libera me ab istis vilissimis, crebrius hoc repetens. Audientes huiusmodi clamorem hi, qui circa eum erant, satis mirabantur, scientes eum esse taciturnum, & vix ad interrogata respondere. Postmodum respirans & inclinans ait: Bene veniat charissima Domina mea, bene veniat: moxq; manū cōtra dæmones leuās, & eis insultans, subjunxit: Modò iacete vos ibi, modò iacete vos ibi; sicq; post modicum, placido vultu expirauit, angelis gaudiū faciēs in cœlo, sed non modicum dolorem fratribus in monasterio; fuerat enim adolescens bonus & disciplinatus, virgo corpore & mente. Nec dubitandum est, quin in aduentu reginæ cœli, omnis illa turba spirituum malignorum impulsæ sit & dejecta, sicut in ortu solis dispergitur nebula matutina. APOLLONIVS: Si Domina nostra clementissima, in morte peccatoris, sicut supradictum est capite ix. sola sua misericordia dæmonum cachinnos compescuit, non miror, si in obitu huius iusti terrores illorum indebitos repressit. CAESARIUS: Bene sentis; dignum erat, vt mater totius castitatis, etiam ante mortem, in suo famulo tam iocunda visitatione remuneraret virtutem virginitatis. Nec hoc miror de perfecto monacho, cum ob eandem virtutem, nouerim suam præsentiam, cuidam sæculari clerico morienti Dei genitricem exhibuisse.

## CAPVT LVI.

**Q**uidam Canonicus maioris ecclesiæ in Colonia, cum in extremis ageret, beatam Mariam præsentem vidit, & agnouit: quam visionem cum circumstantibus recitasset, alapam sensibilem inuisibiliter recepit. APOLLONIVS: Quæ fuit ibi culpa? CAESARIUS: Puto quia inanis gloria, quæ mox per eandem alapam



alapam est sanata. Vocabatur Albertus, & licet corpore fuerit castus, satis tamen exiit secularis & delicatus; atque in vestibus curiosus. Ne tamen causari possis, quod vniuersorum Domina tantum claustralibus virginibus, vel continentibus decedentibus, suam presentiam visibiliter impedit, eosque ad vitam eternam perducatur, personam laicam & vxorata tibi proponam.

## CAPVT LVII.

**C**IVIS quidam de Tulpeto, vir honestus, Cuno nomine, in hac extrema expeditione signatus, cum alijs peregrinis ad mare vsque peruenit: ibi grauiter infirmatus, cum moriturus esset, coepit mirabiliter iocundari: requirentibus socijs de causa letitiae, respondit: Quare non gaudeam? ecce Domina nostra sancta Maria hic praesens est, & hac mihi dixit: Cuno quia reliquisti vxorem, filios, & omnia tua, propter honorem filij mei periculis te exponens, ego bene & plenè retribuam tibi: qui statim exclamauit: En video caelum apertum, & in eo sedem mihi praeparatam, ad quam celerius sum ascensurus; moxque sacro oleo postulans se inungi, & viatico Domini corporis muniri, hominem peregre deposuit, & sicut verus peregrinus, in caelesti patria laboris sui praemium suscepit. **A P O L L O N I Y S:** Non miror, si homo iste justus, vel potius per crucis signationem iustificatus, tam mirifica vidit & promeruit, sed, si nosti, dic vnde mirer. **CAESARIUS:** Duo tibi dicam exempla diuinæ pietatis, eiusque genitricis, quæ te non solum in admirationem, imò etiam in stuporem meritò conuertant.

## CAPVT LVIII.

**M**ILES quidam nobilis, sed criminofus, tempore quodam ab inimicis suis captus est, & quia mortales erant inter eos inimicitiae, visum est eis expedire, vt in instati occideretur: cernens vir nobilis sibi mortem imminere, & nullum adesse remedium vitae, supplici voce dixit ad illos: Rogo vos intuitu Dei, vt ad modicum mortem meam differre dignemini,



mini, quatenus alicui sacerdotum peccata mea pos-  
 sim confiteri. Responderunt illi: Non esset nobis hæc  
 dilatio tuta; & contingere posset, vt cognati & amici  
 tui venientes, eriperent te de manibus nostris, & esset  
 error nouissimus peior priore. Cui cum præcepissent,  
 vt se prosterneret ad decollationem, dixit hoc verbu:  
 Deus tu scis voluntatem meam, & subjunxit: Ani-  
 mam meam commendo Virginis filio: sicque decol-  
 latus est. Erat tunc temporis obsessus quidam in vi-  
 cinio, cui cum dicerent quidam, audita morte tanti  
 tyranni: Modò magnum habetis gaudium, propter  
 animam militis illius facinorosi: lugubri voce respon-  
 dit: Nequaquam, vnum enim verbum moriens protu-  
 lit, propter q̄ saluatus est. Haud dubiū quin ope bea-  
 tæ Virginis, cuius filio animam occidendus comisit,  
 pœnis gehennæ sit subtractus, & cum latrone confi-  
 rente paradisi gaudijs addictus. Aliud tibi referam, vn-  
 de amplius mireris, quod mihi Abbas ordinis nostri  
 retulit, circa hoc quinquenniū dicēs illud contigisse.

*Luc. 23.*

CAPVT LIX.

**I**N vicinia ciuitatis Tridentinæ, sicut mihi retulit  
 quidam Abbas, latro nominatus versabatur, à quo  
 multi depredebantur, & qui se defendere voluerūt  
 nec potuerunt, occidebantur: hic cum die quadam  
 monachum quēdam ordinis nostri obuium haberet,  
 sperans quod pecuniam portaret, ait: Nisi voluntariē  
 sequaris me, occidam te, quem cū monachus seque-  
 retur, & quæreret in via, quis esset, vel quid operis ha-  
 beret? respondit ille: Ego sum latro ille famosus, no-  
 men suum exprimēs, cui cum monachus diceret: Iam  
 incipitis canescere, & non timetis animæ vestræ? re-  
 spondit ille: Non plus quam pecus, & tacuit mona-  
 chus: veniens in speluncam illius, ait intra se: Si posses  
 hominem hunc conuertere, magnum Deo præstares  
 obsequium, dixitq; ad latronem: Si licet mihi aliquid  
 vos interrogare? respondente illo, licet; monachus sub-  
 junxit: Qualis extitit vita vestra à principio? Respon-  
 dit ille: Pessima; quando puer eram, cum omnibus  
 meis coætaneis contendebam; factus adolescēs, furtis  
 operam



operam dedi; deinde in virum proficiens, latrocinia exercui, in quibus aded profeci, vt hodie caput & magister sim omnium latronū huius prouinciæ. Ad quod monachus: Nunquid non timetis pœnas æternas, huiusmodi operibus præparatas? Dicete illo: De anima nulla mihi quæstio est, eo quod perdita sit. Monachus respondit: Quid si possem vobis ostendere viam salutis, velleris mihi acquiescere, nec ne? Ait latro: Etiam vobis consentirem. Et ille: Ieiunate vnum diem in hebdomada in honore sanctæ Mariæ genitricis Dei, & nullum in illa lædatis, & sciatis pro certo, quia gratiam apud filium vobis obtinebit. Respondit latro: Hæc reuera faciam, & iam voueo, nihil ea die cõedam, nullum deprædabor, nullum lædam, elegitque diem sabbati, nihil in illo mali operans, imò plurimos à sociorum manibus deprædandos, siue occidendos, ob honorem beatæ Virginis eripiens. Eodem tempore Tridentum ab hostibus per circuitum infestabatur, & exeuntes satellites ciuitatis, cum hostes die sabbati insequeretur, iam dictum latronem, inermem propter sabbatum, cum cæteris cœperunt: & cum esset fortissimus, non se defendebat, cum caperetur, non se excusabat, nec loqui voluit interrogatus cū duceretur. Veniēs in ciuitatē, mox vt cognitus est, patibulo adjudicatus est. Nutu tamen, vt creditur, B. Virginis, super pulchritudinem corporis eius iudices moti, in hoc cõuenerunt, vt prouincia abjurata, viueret: q̄ cum ille abnueret, & diceret: Non faciã, melius est enim vt hîc peccata luã, quã in futuro, respõderūt: Sine tunc vt decolleris: Nõ curo, inquit, qualis sit pœna, dūmodo occīdar. Et illi: Vis vt vocetur tibi sacerdos? respondit: Nõ est necesse, omnes enim Christiani estis, omnibus vobis peccata mea confiteor, quod cū fecisset cum multa contritione, nihil se boni vnquam fecisse restabatur, præter illud ieiunium, quod a monacho didicerat, sicq; extra ciuitatem decollatus est, & in eodē loco sepultus. Nocte eadem, vigiles portarū circa eius tumulum luminaria viderūt: quinque enim matronæ, corpus eius effodientes, & caput corpori

*Non con-  
temnitur  
confessio  
sacramē  
talis, sed  
maior cõ-  
fusiõ desi-  
deratur  
ab eo, qui*



*inter latrones vi-  
tā pene  
omnem  
trāsege-  
rat, ideo  
que parit  
instructo  
in rebus  
religionis  
fuit.*

adaptantes, posuerunt in feretro, miræ texturæ pur-  
pura superjecta; ex quibus quatuor singulas candela  
ardentes in manibus habentes, per quatuor parte  
feretrum tollentes, quinta, quæ clarissima omnium  
erat, cum candela sequente ad portam vsque venerunt  
ibi corpus deponentes. Custodes ista videntes, timue-  
runt, putantes esse fantasma: quibus illa dicebat: Di-  
cite Episcopo vestro, vt capellanum meum à vobis de-  
collatum, in tali loco ecclesiæ honorificè sepeliat; ini-  
nas addens si negligeret, & nominauit se. Manè cum  
Episcopo hæc nunciata essent, cum clero & populo

exiens, purpuram deposuit, caput præcisum, corpori  
vnitum videns, expauit, texturamque purpuræ huma-  
num artificium excedentem admiratus, relatis credi-  
dit, hominemque cum timore & honore maximo, nõ  
vt latronem, sed sicut Christi martyrem in loco desi-  
gnato sepeliuit. Ab illo tempore, vsque hodie, vix ali-  
quis adultus in illa prouincia inuenitur, qui eius ex-  
plo diem sabbati in honorem Dominæ nostræ non  
ieiunet. APOLLONIVS: Cum opera bona extra chari-  
tatem facta mortua sint, quomodo ieiuniũ, siue opus  
aliud secundum genus bonum, tempore latrocinij  
gestum, Dei genitrici placere potuit? CAESARIVS:  
Per obsequium quod beatæ Virgini impendit, habile  
se reddidit gratiæ; per finalem contritionem, factus  
est filius gloriæ; per temporalem mortem, quam li-  
benter ac patienter sustinuit, purgatorij pœnam eua-  
sit, non enim punit Deus bis in idipsum, nisi medicina  
cõtemnatur; non aliter audeo definire: legimus enim  
in vitas patrum cuidam latroni Conuerto, pietatis  
opera, quæ in latrocinio egit recitanti, sanctum re-  
spondisse Pafnucium: Nunquam aliquid tale egi, id  
est tam magnum, in vita mea. APOLLONIVS: Historia  
hæc tam mirabilis valde accendere debet peccatores  
in amorem sanctæ Dei genitricis. CAESARIVS: Adhuc  
vnum superest capitulum, quod omnes ordinis nostri  
professores magis omnibus, quæ adhuc audisti, in il-  
lius amorem accedit, propter quod præsentī distincte  
pro conclusione illud reseruaui, quia quod nouissimo  
loco

*Nabũ. i.*

*Parte i.  
in vita  
S. Pafnu-  
cij.*



loco dicitur, memoria fortiùs imprimitur.

## CAPVT XL.

**M**onachus quidam ordinis nostri, Dominam nostram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens, ad contemplationem gloriæ cœlestis deductus est: vbi cùm diuersos ecclesiæ triumphantis ordines videret, angelorum videlicet, patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum, & eosdem certis characteribus distinctos, item Canonicos regulares Præmonstratéses, siue Cluniacenses, de suo ordine sollicitus, cùm staret & circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illa gloria reperiret, ad beatam Dei genitricem cum gemitu respiciens, ait: Quid est sanctissima Domina, quòd de ordine Cisterciensi neminem hîc video? quare famuli tui, tibi tam deuotè seruientes, à consortio tantæ beatitudinis excluduntur? videns eum turbatû Regina cœli, respondit: Ita mihi dilecti ac familiares sunt hi, qui de ordine Cisterciensi sunt, vt eos etiam sub vlnis meis foueam, aperiensque palliû suum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabile multitudinè monachorû, Conuersorum, & sanctimonialiû illi ostendit: qui nimis exultas, & gratias referens, ad corpus redijt, & quid viderit, quidve audierit, Abbati suo narravit. Ille verò in sequenti capitulo hæc referens Abbatibus, omnes lætificauit, ad ampliorem sanctæ Dei genitricis amorem illos accedens. Igitur quia Virginem beatam, imò speculum virginitatis, cuius merita & gloria, omnem Sanctorum multitudinem transcendunt, laudare non sufficio, quasi imperitus orator illam laudando deficio: ipsam ergo, tuis adiutus orationibus, deprecor, vt defectum meum ipsa suppleat, & quæ scripta vel scribenda sunt, fructuosa faciat. Amen.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

Ff 5

CAPIT.